

SYNOPSIS
ANTICHRISTI RO
MANI SPIRITV ORIS CHRL
sti reuelati.

IOHAN. VVIGAND.

Apoca. 14.

Si quis adorauerit Bestiam & imaginem eius, & acceperit
Characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de uino iræ
Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Et cruciabitur
igne & sulphure in conspectu angelorum sanctorum,
& ante conspectum agni, & fumus supplicij
corum ascendet in secula seculorum.

IHENÆ.

EXCVDEBAT THOMAS
rebart. Anno L. S. 60.

SYNGE
АИСТИЧЕСКАЯ

ГИДА СИГИДЫЧА ЕРЯ

Либретто

СИГИДУЛАНЫ

Андрей

Всеобщая любовь и забота о родине и народе, а также любовь к родной земле и ее народу, являются основой для создания этого спектакля. Спектакль основан на реальных событиях из истории России, в частности, на событиях Февральской революции 1917 года. Спектакль показывает, как люди, которые были в разном возрасте и социальном положении, соединялись в единую силу, чтобы отстоять свою страну и народ от опасности. Спектакль показывает, как люди, которые были в разном возрасте и социальном положении, соединялись в единую силу, чтобы отстоять свою страну и народ от опасности.

СИГИДУЛАНЫ

ЭКСПРЕССИЯ ТЮМЕНЬ

Либретто Альберт Калашников

030056539

PRUDENTISSIMIS
ATQVE AMPLISSIMIS DOMINI'S
CONSULIBVS, SENATORIBVS, ET IPSI'S
quoque ciuibus Reipublicæ Magdeburgensis. Et Re-
uerendis viris D Pastoribus & ministris verbi
DEI in eadem Ecclesia, Dominis, amicis, &
fratribus obseruandis, omnibus
& singulis.



RATIA ET PAX, CONFESSIO
& perseuerantia in agnita veritate, cognitio,
odium, detestatio ac fuga Antichristi, ac deni-
que benedictio in Spiritualibus & corporali-
bus, per Iesum Christum unicum nostrum Ser-
uatorem, Amen.

Quemadmodum inter dona dei, quæ cum repurgata doctri-
na cœlesti, hac nostra æta nobis obuenierunt, non postremum fu-
it, clarissima & euidentissima Antichristi multis seculis prædicti
reuelatio ac demonstratio: Ita vicissim nunc inter pœnas, quæ iu-
sto Dei iudicio, propter contemptum verbi dei atque alia scelera,
in hac postrema Senecta, ac propemodum delirio mundi graffan-
tur, non est minima, Antichristi occultatio, vel etiam eiusdem sta-
bilitio & fucatio.

Nihil iam differemus de ijs, qui ut semper habuerunt An-
tichristi characteres ita indesinenter eos quoque retinent & au-
gent, neque de illis, qui palam & aperte ad Antichristum se rur-
sus contulerunt abnegata veritate, quam cognouerant, tantum
vero cum gemitu & dolore infpiciamus eos, qui simul in vera Dei
Ecclesia, ab Antichristi sordibus liberata, versantur, ac simul ho-
mini peccati & filio perditionis, non parvam loçarunt vel etiam
cum locant operam.

Primum enim plurimi vigiles seu doctores in Ecclesia
C ij Christi,

Christi, doctrinam de Antichristo ab obitu Lutheri alto silentio
sepelierunt, imo penitus obliti sunt. Nam in concionibus, in libris
etatis, Antichristi nullam iam diu fecerunt amplius mentionem.
Non auditæ sunt illæ voces, Exite, fugite, execrani. Sed o vos
dormitantes vigilæ, qui incendio publico patimini omnia absu-
mi o negligentes, o infideles, o crudelæ pastores, o canes muti, qui
lupo intra ouile grastante, pacem & tranquillitatem somniatis, &
ouibus quoque uestris pacem securitatemque pollicemini. Hac
enim obliuione, torpore, & malitia vestra, Antichristus robur in-
gens rursus sumpfit, viresque antea prostratas recuperauit, &
plurimas ouiculas Christi, vestræ fidei commissas, nihil metuen-
tes incautasque deuorauit.

Alij non tantum obliti sunt reuelationis Antichristi, sed in
super etiam eum rursus pingere ac commendare sunt conati. Hinc
illæ voces, utile esse, vt unus aliquis toti Ecclesiæ dominetur, ad
prohibenda schismata & hæreses, Non oppugnandum esse prima
tum Papæ, relinquendam eminentiam ac dignitatem Episcopis,
notis Antichristi Romani insignitis, eique diris exerationibus
adstrictis, ac optandum esse, vt eis maneat inuiolata autoritas,
Quo propius Papæ, eo melius. Veram esse doctrinam, bona opera
esse ad Salutem necessaria. Vocem Sola, in propositione, Sola fide
iustificamur, posse omitti in ipsa coufessione. Licitum esse, imo
rationem veræ pietatis exigere, vt laruas ceremoniarum Anti-
christi, non habita ratione, quod iustis de causis abrogatae prius
sint, recipiant Ecclesiæ Christi, etiam sub pena expulsionis, capti-
uitatis, & aliorum Suppliciorum, qui detrectant. Scilicet nihil
referre, etiamsi sponsa Christi sit ornata ornamentis babilonicæ
meretriciæ. Ratio est, quia hoc pacto redimi possit a persecutori-
bus pax & securitas imo quia etiam ample diuitiae, dignitates, &
similia præmia, isto quasi aucupio accipientur. In super hisce pro-
ximis aliquot annis plns quam Cainico & diabolico odio persecu-
ti sunt plurimi doctores Ecclesiæ, miseros illos homines, qui do-
rissimis & peiiculosissimis temporibus Interim, vociferati sunt,
excundū esse ab Antichristo, non ingrediendum aut redeundum
ad cun-

ad eum, abiiciendas esse eius notas, non recipiendas, virginitatem
sponsæ Christi retinendam, non prostituendam, confessionem Au-
gustæ exhibitam Imperio Romano conseruandam, non abiicien-
dam. Hinc adhuc quidam pro Catharmatis ac pestibus orbis ter-
rarum eos infestantur, conspurcant, damnant, & omnium homi-
num animos atque gladios aduersus ipsos excitant, qui docent
peccata, cum Antichristo turpiter commissa, agnoscenda ac de-
precanda, iramque Dei & penas tantis sceleribus debitam expi-
anda, & publicum scandalum publica poenitentia sanandum &
auertendum esse.

Alij fascinati personarum autoritate neglectaque penitus
rerum consideratione & omni ueritatis studio, in omnia pedibus,
quasi oculis capti, abiuerunt, imo etiam excusarunt, defende-
runt, propagarunt.

Deinde & multi politici homines varie post Lutheri obi-
tum Antichristi partes egerunt. Nam alijs simul cum Doctoribus
Ecclesiarum in hoc incubuerunt summo studio, ut cessione in
dogmatibus ac Ceremonijs aliqua conciliatio iniretur cum Anti-
christo, hoc est, grege papistico, ne premerentur cruce Christi, ne
ue corporalia bona in discrimen aliquod venirent. Ideo quidam
Interim crasse & aperte, quidam vero aliquas eius partes moliti
sunt instituere. Exempla non sunt ignota.

Alij vero Adiaphorici pallij latitudine, altitudine, profun-
ditate freti, etiam ausi sunt coram ipsa Bestia Babilonica genu-
flectere, ei iurare, quod cœna Domini non sint usi vtraque, ut vo-
catur specie, seu Lutheranorum more, tantum ut regna huius
mundi & gloriam eius, ut Matth. 4. extat, consequerentur. Nec pu-
det dicere, nihilominus vera doctrinæ Euangelicæ adductissi-
mos esse. Imo si pallia, si asiae dignitates ab Antichristo ingenti ar-
genti vel auri pondere emptæ sunt, consuetudine aliorum lese ex-
cusare, ac peccatum tam tetrum prædicare non verentur. Si sub ali
eius patrocinio Missis, horrendum in modum crucifigatur
Christus, inuocentur Sancti, porci Antichristi sodomitica scle-
raparent, & non tantum domos, sed ciuitates, sed regiones eius

Modi sceleribus contaminentur & impleantur, id vero nolunt
pro vitio haberi, propter quod Deus irascatur, & puniturus sit
eternis cruciatibus in inferno, nisi matura ac seria agatur poeni-
tenta. Nec defunt talibus sui erudit parasiti, qui omnia excus-
sent ac tueantur.

Audio quosdam principes, Comites, Nobiles, & alios mag-
nos viros, professione Euangelicæ doctrinæ commendatos, labora-
re, ut liberi sui ad hoc teneri, in album Canonicorum in opulen-
tissimis Episcopatibus, non paruis etiam precibus ac præmijs ad-
ditis, inscribantur, vt nimis hoc ratione sint, vti vocantur EX
PECTANTES, ad præposituras, ad Episcopatus ad amplissimos
honores & reditus accipiendos, Vide obsecro te Christiane lector
Adiaphorici pallij fuctus?

Alij Antichristo portas portulasque aperiunt, areas pur-
gant & muniūt, vt intra suas regiones, intra ciuitates & mœnia,
Monachi, Canonici, sacrifici, sua regna cum septem peioribus
cacodemoniis redeuntes recuperent, boatibus plusquam Baali-
ticis nomine Dei abutantur, Sanctos inuocent, Christum, qui
nos precioso sanguine redemit, Missis & alijs blasphemis horri-
biliter crucifigant, tot instituant lukanaria, quot domos inco-
lunt, polluant Ecclesiam Dei, oues Christi mactent, matronas,
puellas in numeris artibus circumuentas contaminent, & ad mo-
res suos etiam vicinos conforment, iram dei, poenas & interitum
etiam in propinquo habitantibus accersant & accumulent, idque
tali opinione, quod Antichristo in suo nido libertas sua sit relin-
quenda, non esse tantum ab ipso incommodi, vt stoici quidam mi-
nistri verbi Dei odiose uociferantur, imo pacem, tranquillitatem,
occasione ditescendi ex ipsis Antichristi ministris offerri, quia
vino & frumento vt inquit psalmus abundant. Deū etiam dispen-
saturū cum illis, qui bono studio Antichristi membra fouent, &
scelara corū atro adcfirma connuent. Esse ipsos etiam Baalitas &
Sodomitas, Dominos, nec turbandos, etiāsi oues Christi trucidēt,

Reliquus vero populus suorum Ducum exempla imitatur,
vt nimium uere dicitur, Scilicet in vulgo manant exempla Re-
gentum.

gentum, Gaudet enim vulgus hominum, sibi occasionem contenti
mendi ueram religionem, libere fruendi voluptatibus cum spon-
sis illis Penelopes. & denique emendi ac vendendi oportunita-
tem datam esse. Nam vberiores fructus ex grege illo papistico, ig-
nauo, ocioso, luxu perduto, & omnis generis opibus affluente, spe-
rant & accipiunt, quam ex alijs pijs frugaliter & honeste viuen-
tibus. Eamque ob causam Antichristi mancipijs blandiuntur, be-
neficia expetunt, obsequia promittunt, & denique contra fratres
suos, imo & contra Ecclesiæ ministros, ac denique contra propri-
am patriam & publicum bonum militant.

Hæc tam sunt manifesta & notoria, vt impudentissimus
prosperus sit, qui negare ausit. Quid autem hæc omnia portendant,
omnes pij facile agnoscunt, nempe infinitam apostatandi & cum
Antichristo scortandi licentiam, ac denique eiusmodi religio-
num ac sententiarum confusione, de qua Christus prædictus, si
filius hominis venerit, putas eum fidem in tetra reperturum
esse?

Necessè igitur est, veram de Antichristo doctrinam, ex sacris
literis repetere atque inculcare, vt extet vox Dei, Exite, exite
populus meus Apocalyp. 18. Si qui forte in hac mundi totius in-
clinatione aut ruina potius, vel moneri vel retrahi posint. Gra-
uis vox Lutheri & digna omnium memoria ac obseruatione est,
Non posse eum Salutem consequi, qui non ex toto corde Papa-
tum, seu Antichristum oderit.

Vului autem res maximas tantum punctis quasi quibusdam
pelineare, vt tota hæc doctrina facilius cognosci ac rectius perpen-
di queat. Copiosa vero atque luculenta explicatio in libris Lu-
theri extat, quem nos sequimur.

Vobis vero consulibus, Senatoribus, & ciuibus Reipublicæ
Magdeburgensis, hanc quantulamcunque commonefactionem in-
scribo & mitto, quia propemodum integrum septennium ex voca-
tione diuina fui vester Pastor, donec me Deus in aliam suæ Eccle-
siæ stationem euocaret, cui obtemperandum fuit. Amo igitur
vos tanquam filios Spirituales, & paratus sum etiam absens pia-

officia pro mea quidem imbecillitate vobis præstare. Commonem
facere autem de rebus expctendis ac fugiendis, præsertim animæ
nostræ salutem concernentibus, omniū primarium officium esse
judico.

Deinde ornauit Deus haec tenus vestram Ecclesiam, quo qui
dem tempore plures alii horribiliter cribratæ sunt, præclara con
fessione aduersus ingruentes eosque multiplices errores, impi
mis vero contra Conciliationes cum Antichristo faciendas, quas
Sphynx Augustana, parua Interim, Adiaphoristica concilia & De
creta adferebant & vrgebant, ac agnoscunt multæ Ecclesiæ Dei
cum gratitudine, quod vestra lux ipsis quoque, ne tenebris hor
rendis immergerentur, præfulserit. Pertinet igitur hæc mea ad
monitio de Antichristo ad vestram illam Confessionem, quam
vos conseruare decet, ne sal infatuetur penitus, ac lucerna Dei
apud vos extinguitur. Vbi enim doctrina de Antichristo non flo
ret, non excellit, ibi non potest lux articulorum fidei retineri.

Tertio existimò vos tali commonefactione doctrinæ indi
gere. Non enim sum nescius, quod ille tentator Diabolus, non de
finat per sua quædam Adiaphoristica organa vos tentare, vt ni
mirum priorem illam constantiam & confessionem in refutan
dis ac profligandis corruptelis Antichristianis, remittatis. Dein
de in parte & quidem primaria seu capite ciuitatis vestræ, intra
sua fana ac delubra ipsissimum Antichristi idolum iterum con
sedit, suasque idolomanias & tetra scelera exercet, boando, Mis
fando, & scortando. Atque hoc portentum, hoc est, inconuersi Ca
nonici Sacrifici, Monachi, non muti sunt, non quiescunt, sed ora
nia sua diuina, vti vocant, hoc est, Diabolica opera, contra deum,
contra religionem, contra animas, contra salutē plurium, contra
honestatem, contra benedictionem totius vestræ ciuitatis, muris
vestris, vestris inquam muniuntur, portis vestris, vestris inquam
clauduntur, licet aream quandam superstitione & idolomanis
suam effecerint. Qui hanc pœnam, hanc cladem, hanc pestem floc
cipendit, profectone guttulam quidem vnam veræ pietatis in to
corpore habet. Proinde quæ de Antichristo vobis nunc offero,
necessaria

bis sunt, ut eius membra cognoscatis, ut quotidie cum vestris liberi
beris preces vestras, contra istas animarum & omnis honestatis
pestes dirigatis, ut fugiatis, ut excremini, ut iij, qui aliquid consili
uel auxilij ad tanti Idoli instaurationem dederunt, agant poenitentiam,
& caueant, ne plures eius notas accipiant, ut & precibus
a Deo hoc beneficij expetatis, & uos etiam omni cura & pietate
in id incumbatis, netam contagiosa lues, intra vestras portas &
contiguis ædibus graffans, vestram ciuitatem vel vniuersitatem, uel
aliquam eius partem diutius infestet.

Equidem non ignoro, aliud esse iudicium filiorum huius
seculi, id est Diaboli, qui malunt, sicut quidam dixerat, magno im
petu currere in infernum, quam lento pede eo contendere. Sed
non sunt res parui momenti, nec sunt homines ad hanc tantum
breuem uitam conditi, ac Deus Zelotes est, nequaquam vero sunt
collusiones cum Antichristo felices, id quod plurimum ciuitatum
& regiouum exempla testantur.

Iam iam aderit ille dies, quo Christus fornicationes illas
omnes, siue apertas siue clandestinas, cum Bestia Romana, fœda
que meretrice grauissime puniet. Equidem scio multo suauius ac
uentri utilius esse palpum obtrudere, peccata extenuare & occulta
re, aut faltem conniuere & dissimulare, verum ea uia dicit ad
infernum, non tantum obtemperantem, uerum etiam sic docen
tem. Malo igitur de rebus tantis paulo seuerius differere, ut &
ipse bona me sustentem conscientia, & lapsi ex peccatis elucentur,
iramque Dei ac horrendas poenas sibi imminentes, expient
uel qui adhuc puras habent manus, non contaminentur.

Quarto ut & ceteræ Ecclesiæ, quæ cum dolore audiunt,
Idolum Antichristi in parte quadam ciuitatis vestræ rursus erec
tum esse, per eius Idoli cultores, intelligent, non tamen omnes esse
in vestra Ecclesia tanti peccati reos, sed potius uos odisse ac detesta
ri. Sacerdotum istius tanti Idoli atque omnium asséclarum
idolamalias & flagitia, imo & gaudere, quod sub vestro nomine
doctrina & confessio de Antichristo publice extet ac legatur.

Quarto etiam propterea hanc Autichristi synopsin uobis

*

dedicare


dedicare uolui, ut teſtimoniu[m] meum coram tota Ecclesia Christi sit manifestum, me haec in vestrā Ecclesia ratione mei officij, quo verbum dei vobis proponere debui, ferio ac ſæpe tradidiffe nullaque mei diſcrip[ti]onis habita ratione inculcasse, neque me huius confessionis Deo dante p[re]nitib[us] certus enim sum, eam non meam, ſed dei mei ſententiam eſſe, ſacris literis perſpicue compræhensam. Seruos Antichrifti, ſilios huius ſeculi, vertumnos, Ecebo, los, parum moror.

Vobis porro Paſtoribus ac ministris Ecclesiæ Magdeburgensis, fratribus meis longe chariflmis, ſimul hanc meam opellam nuncupare volui, prium, ut Coniunctionis ac consensus noſtri teſtimoniu[m], etiam hac in parte omnes pij cognoverent. Deinde quia præſens ſæpe fraterne vos ſum cohortatus, ut intrepide, uno ore ac Spiritu, ſicut vigiles strenuos ac fideles Ecclesiæ Christi decet, lupos intra mœhia ciuitatis vestræ graffiantes, plurimas ouiculas deuorantes, disciplinam & pietatem funditus pefundantes, in clametis, absens etiam id repetere viſum eſt, non quod dubitem de Zelo vestro, ſed potius ut currentibus iam pium quaſi calcar adaderem, neque ignoratis, tali nos pacto ab inuicem diſcessifile, ut ueſtræ confeſſion[i] pollicerer me ſemper coniunctum fore, id quod etiam ababeunte petebatis.

Scitis chariflmi fratres, non eſſe rem ciuilem, intra portas ciuitatis, in contiguis ædibus, Deum blasphemare, idolomanias exercere, Christum crucifixere, religionem veram damnare, ouiculas Christi publicis ſacris idolo Moloch seu Antichristo praefit[us], ſauciare, offendere, perdere, publicas fornicationes, longe exuperantēs Sibaritarū, Sardanapali & Heliogabali ac Sodomorum ſcelera exercere, matronas, puellas in eiusmodi lupanaria introducere, ancillas de platea in suas domos pellicere, stuprare ac dimittere, ſicut iſte Gomorriticus uester grec Antichristi facit. Non eſt res mere ciuilis, portas ipsis patetfacere, ad meretrices introducendas & ſimilia. Itaque vos tanquam Angelos Dei in excubij eſſe decet, & ad tantum incendium, ad tantas blaſphemias DEL, ad tantam cladem plurimarum animarum, non conniuere,

non obsurdescere & obmutescere, sed exaltare voces, sicut sonoras
tubas, clamare Exite, Exite, Exite, non Introite, Introite, Introite,
Pax alma, securitas alta, nihil periculi, haec nihil ad nos &c. Ut in
aduentu Domini nostri Iesu Christi pro vestris laboribus, fudo-
ribus, periculis, immarcessibilem coronam accipiatis.

Postremo Deum patrem Domini nostri Iesu Christi ex ani-
mo precor, ut uestram Rempublicam & Ecclesiam saluam custo-
diat, atque ornamentum quod habetis præcipuum, nempe doctri-
nae veræ confessionem & corruptelarum refutationem, atque to-
tius Antichristi damnationem, intuolatum conseruet. Precor
etiam ut Deus idolomanias & animarum rapinas, quas
membra Antichristi intra vestra mœnia exercent, cle-
menter coherceat & reprimat. Bene in Do-
mino valete.



SYNOPSIS.
ANTICHRISTI IN
REGNO ROMANO, PER SPIRITVM
oris Christi patefacti.



ICVT ARTICVLVS
fidei est, ut credamus Ecclesiam san-
ctam Catholicam, hoc est, ut explora-
tum habeamus, certoq; sciamus, quæ &
ubi sit uera Ecclesia Dei, ac statuamus,
nos uere eius membra & ciues esse: Ita
econtra articulus fidei est, ut credamus falsam Ecclesi-
am, quæ quidem semper suis quibusdam maculis ceu-
stigmatibus insignita fuit, est & erit usque ad ruinam
mundi, hoc est, ut eam agnoscamus, fugiamus & execre-
mur. Ad hanc Antithesin articuli de Ecclesia, Anti-
christus, cum suo Vniuerso regno ac tyrannide perti-
net. Proinde ex descriptione & notis, quas ei sacra
scriptura attribuit, cognoscendus, dijudicandus, & ui-
tandus est. Nemo enim articulum fidei nostræ de Ec-
clesia hodie recte crederet, qui Antichristum, in tanta eius
reuelatione ac uerbi diuiní luce, non credit, hoc est, non
agnoscit, non abhorret, non ab eo toto pectore & pro-
fessione discedit. Prodest igitur Synopsis tam tetri at-
que horrendi monstri in conspectu habere, ut mens
Christianæ certa puncta intuens & expendens, omnia
rectius perscrutetur, expeditius dijudicetur, & uehemen-
tius atq; ardentius auersetur ac detestetur. Sit igitur

B

hæc

AN SIT ANTICHR

hæc in præsentia Antichristi tantum Synopsis quædam, donec aliquando, fauente Christo, liceat paulo fuisse ista omnia explicare, illustrioresque colores addere.

ANSIT.

QVOD IN ECCLESIA CHRISTI exoriturus esset Antihristus, ipse met Christus, unigenitus Dei filius, fide dignissimus testis & uates, perspicue & indubitanter prædictus Matt. 24. Paulus vero Petrus & Iohannes, uaticiniū Christi exponentes, commonie faciunt de pluribus notis ac proprietatibus, quæ ad cognoscendum & fugiendum Antichristi contagium ac pestem faciunt 2. Thes. 2. 1. Tímoth. 4. 2. Petri. 2. Apocala: capite undecimo usque ad finem. Congruunt etiam illa omnia cum antiquissima Danielis prophetia, quæ in eius libro extat capite duodecimo. Desinque omnibus ætatibus Ecclesia Christi credidit, docuit & præmonuit, Antichristum esse uenturum, ac horribiliter in uinea domini grassaturum.

ETYMOLOGIA ET APPELLATIONES.

ANTICHRISTVS GRAECA VOX est, significans contrarium Christo, seu aduersarium eius. Videtur sumpta appellatio ex epitheto maligni Spiritus, quem uocant Hebræi Satanam, hoc est, aduersarium. Cum enim Antichristus sit uicarius Diaboli, omnino deceat eum titulum & quasi insignia sui Domini ferre, ut nimirum omnes mortales ex ipsa appellatione, de officio eius iudicium facere possint. De signis

ETYMOLO: ANTICHR:

Signat uocabulum Antichristi etiam eum, qui semet ipsum Christo æquat aut comparat. Hoc enim ^{avt̄ hoc} ualeat. Nam h̄c se ueluti pro altero Christo, aut summo sacerdote & capite ostentat.

Habet autem dupl̄icem significationem uocabulū Antichristi.

Primum generaliter accipitur de quolibet falso doctore, seu hæretico, impugnante siue personam, siue officium, siue doctrinam, siue Sacra menta ac cultus Christi. Ad eum modum Iohannes in epistolis plerunq; uocem Antichristi usurpat. Potest etiam hoc modo Gog & Magog, hoc est, regnum Mahometicum seu Turcicum, dici Antichristus, de quo Apocalypsis uigesimo capite agitur.

Deinde uero specialiter, & ut iam plerunq; Ecclesia loquitur, intelligitur de regno Ecclesiastico, quod sub Christianitatis & pietatis titulo, contra Christum est, omnia quæ Christi sunt, hoc est, doctrinam, Sacra menta, cultus, mirifica specie deprauans ac perueriens, & de hoc quidem in præsentí agemus, qui uere ac proprie Antichristus est.

Appellationes illustrissimæ, quas Antichristo Spiritus sanctus tribuit, sunt hæc. Pastor stultus Zach. 2. Antiochus Dan: 2: 12. Pseudoprophetæ. Mat. 7. Zizania. Mat. 13. Alieni pastores, fures, latrones, lupi, Iohan. 10. Pseudochristi. Matt. 24. Abominatio desolans Matth. 24. Defectio, Homo peccati, Filius perditionis, Aduersarius Dei & omnium quæ sunt Dei, sedens in templo Dei, Deus, ^{avt̄ uero} id est, exlex. 2. Thessal. 2. Spizitus

DEFINICIO ANTICHR.

ritus impostores, doctrinas dæmoniorum proponentes. I. Tímoth. 4. Meretrix sedens super bestiam, Babylon magna, Bestia, ipsa mater scortationis & abominationum terræ, Apocal: 17.18. Draco. Apoc.13.

Reliquorum Antichristi Epithetorum enumerationem, quæ quidem passim in sacris literis extant, & in Corpore doctrinæ ex Nouo Testamento, medio christiano collecta sunt, breuitatis gratia hic non instituimus.

CONTRARIA.

HAS PROPHETIAS DE ANTICHRISTO, eiusque appellations, tantum Antiocho, Neroni, aut simi libis pestibus Ecclesiæ Dei, uel etiam quibusdam solummodo hæreticis adscribere, nimis angusto intellectu.

Item ad errores tantum deducere, quasi non sit aliquis homo, ordo aut regnum tale, quod uitari oporteat.

DEFINITIO.

ANTICHRISTIANISMVS ROMANUS, est Ecclesiasticum regnum, mixtum politico, cuius autor est Diabolus, & eius ministri Ecclesiastici & politici, degenerans a uera Christi Ecclesia, & sub specie Christianismi, ea quæ ad Christi honorem, regnum, Doctrinam, sacramenta & cultus pertinent, corrupiens & perueriens, Regni mundani potentiam & gloriam improbissime affectans, rapiens & usurpans, replens orbem terrarum Spirituali simul & carnali scor-

tati

DEFINITIO ANTICHR.

tatione, denique omnia dirigenſ miranda hypocriſi ad
obſcurationem Christi, & hominum miserandam fasci-
nationem & damnationem æternam. Hanc descri-
ptionem ſuppeditat & probat reliquum corpus quod
ſequitur, & loci ſcripturæ, ubi ex professo de Antichri-
ſto agitur, quales ſunt Daniel: 12. Matth. 24. 2. Thes. 2.
2. Pet. 2. Apoc. 17. 18. & 19.

CONTRARIA.

ASSEVERARE, ANTICHRISTVM
Atantum eſſe quosdam Hæreticos, qui in dogmati-
bus fidei contra Christum exorbitarunt. Sed hæc descri-
ptio nimis angusta eſt, quia non conueniunt hæreticis
illis omnes notæ Antichristi, ac ſunt tantum eius pars,
membra ac Synergi.

Asſeuerare, Antichrīſtum eſſe unicam tantum
perſonam, quæ ſit naſcitura ex tribu Dan, in Babylo-
ne, & quidem Diabolo cooperante, qui in ea perſona
habitaturus ſit. Item quæ ſit Hieroſolymis instauratura
templum Salomonicum, ibiꝝ miraculis quibusdam
fascinatura homines, quæꝝ pro Messia ſemetipſum
uenditatura ſit, & non credentes in iſam, immaniter
trucidatura. Enoch autem & Heliam e cœlo uenturos
& hunc Antichrīſtum oſtenturos et manifestaturos, Ve-
rum ab iſo moniſtro hoſce præcones interficiendos eſ-
ſe. Duraturum autem graſſationis tempus triennium
& dimidium, quo expleto, per Dominum Spíritu oris
delendum eſſe funditus Antichrīſtum, ut eſt in traſta-
tu de Antichrīſto, quæ falſo Auguſtino adſcribitur, &
in Damasco libro quarto de fide. Hæc deſcriptio ca-

IESANTICH.R

ret fundamentis scripturæ sanctæ, est nimis angusta, frivola, a Satana artificiose excogitata & sparsa, ad eludendam descriptionem Antichristi, quam Sp̄iritus Sanctus tradit, & ad auertendos homines a cauendo uero Antichristo conficta. Huc deniq; pertinent omnes optiones Patrū de Antichristo, aberrantes a Christi Prophetarum & Apostolorum descriptione.

S P E C I E S .

ANTICHRISTVS GLISCENS AC
mysterium iniquitatis agens tempore Pauli, & postea pedetentim crescens sublatis Apostolis, 2. Thes, 2, nimirum anno Domini quinquagesimo & sequentibus.

REGNANS tempore Phocæ, ab anno domini sexcentesimo septimo, usq; ad reuelationem,

REVELATVS tempore Huss & Lutheri, anno Domini millesimo quadragecentesimo, decimoquinto, & millesimo quingentesimo decimoseptimo.

DESTRVENDVS ultimo Christi aduentu.

2.

Occultus, dum uidelicet paulatim altius assurgit, & postea in summum, euectus fastigium, longe lateq; suis præstigijs regnat.

Reuelatus, dum toto orbe sonat & extat doctrina, quod pontificium Regnum in Ecclesia, sit ipsissimus Antichristus, omnibus suis stigmatibus insignis, etiamsi plurimi uoci diuinæ non credant, aut certe maliciose eum excusent.

Hæretici

EFFICIENT. ANTICHR.

3.

Hæretici & corruptores doctrinæ Christi, qui
quidem sunt partes seu ministri Antichristi præcipui.
Antichristus totus, seu integrum eius corpus ac
systema.

EFFICIENTES.

1.

AUTOR ANTICHRISTI EST IPSE
Satanas, cui Deus ob peccata hominum frena laxa-
uit, Matt. 4.2. Thess. 2.1. Timoth. 4.1. Draco, Apoca. 13.
Dan. 12.

2.

Ignavi, indocti, supersticiosi, auari, mendaces &
ambitiosi doctores Ecclesiæ, inter quos Romani Epis-
copi primum locum omni iure tenent, in primis uero
isti, Zosimus, Bonifacius primus, Cœlestinus, Bonifa-
cius tertius, Bonifacius octauus, Alexander tertius, &
similes, quos recensere longum esset.

3.

Impij aut fascinati Monarchæ, qui Antichristi
statum siue confirmarunt, siue auxerunt: Inter eos uero
summum locum obtinet Phocas parricida, quem tra-
dunt historiæ inter omnes Monarchs primum Epis-
copo Romano Bonifacio tertio primatum supra reli-
quas Ecclesiæ contulisse atq; stabiliuisse, idq; non spon-
te sua, sed maximis contentionibus expugnatum, circa
ter annum Domini Sexcentesimum septimum.

B iiiij

Postea

EFFICIENT. ANTICHR.

Postea successerunt quidam Monarchæ, qui superstitutionibus dementati, largitionibus suis nimis magis corruperunt Ecclesiam & eius proceres, quam emendarunt.

CONTRARIA.

AFFIRMARE A CHRISTO ESSE PRIMATUM Romanæ Ecclesiæ constitutum, quia Christus dixerit Petro, eum esse Petram, super quam ædificaturus esset Ecclesiam suam, quia ipsi claves tradiderit, quia ter præceperit, ut pauperet suas oves. Sed stolidissima est consequentia, quam pueri in scholis rident & explodunt. Nimirum, ergo pontifex Romanus est oecumenicus, & suum primatum habet a Christo. Recte autem opponuntur Historiæ posteriores, ut quod Christus discipulos, de primatu litigantes, acriter reprehendit, & non modo pares eos facit, Sed etiam uult, ut quisçp se alteri subjiciat, & ad seruendum se non difficilem præbeat, Matthæi uigesimo. Recte Paulus pronunciat, unum tantum esse Ecclesiæ Dei caput, nempe Christum. Ephes. I. Ac si Petrus fuit illa petra, cur ipse in Actis & Epistolis non id inculcat? Cur reliqui Apostoli illam petrinam petram, quam credere tantopere sit ad salutem necessarium, non docent & ornant? Cur Paulus tam aperte ueluti triumphabundus scribit, se aberrantem Petrum acriter redarguisse, & in uiam retraxisse?

Recte autem Ecclesia sentit, quæ petram non per sonam Petri, sed Christum & confessionem de essen-
tia &

EFFICIENT. ANTICHR.

etia & uoluntate Dei (quæ non tantum Petri, sed etiam
relicorum Apostolorum, imo totius Ecclesiæ Christi
Omnibus temporibus est) intelligit. Christus enim petra
seu lapis appellatur, Esaïæ. 28. Psalmo 115. Matth. 21.1.
Petri. 2. Acto. 4. Claves autem non tantum Petro, sed
etiam coeteris Apostolis, imo toti Ecclesiæ commendan-
tur, sicut ex repetitione Christi patet, Matth. 16. Quod
porro de pascendis ouibus proponit Christus, nihil de
primitu continet. Ineptissimum deniq; est, illa omnia
ad Romanam Ecclesiam ueluti crinibus trahere.

Affirmare a Petro primatum isti loco super om-
nes Ecclesiæ, usque ad finem mundi esse concessum,
Romanistæ enim sic argumentantur, Petrus fuit Ro-
mæ. Ergo omnes pontifices Romani, primatum Ec-
clesiæ acceperunt & possident a Petro, O crassa capita.
Nunquid Petrus etiam alibi fuit? Deinde ubinam dia-
plomata habentur? Vbi sunt veterum scriptorum testi-
monia? Ergone scortum illud Nobile, dictum Iohan-
nes octauus, a Petro primatum tenuit? Ergo tot Magi,
tot parricidæ, tot scortatores illustres, qui pontificale
culmen per fas nefasq; assediti sunt, sicut ipsorum pro-
priæ historiæ testantur, a Petro & Christo illud habue-
runt? Nec uelipsi errare uel portæ inferorum contra
eos præualere potuerunt? O portenta hominum.

Affirmare, quod patres in Niceno Concilio pri-
matum Romanæ Ecclesiæ exerint, & comprobarint
Id, enim constanter negat sexta Carthaginensis Syno-
dus, & luculenter Romanos pontifices de crimine fal-
si conuincit, prolatis exemplaribus authenticis ex A-

EFFICIENT ANTICHR.

Ialexandrina, Antiochena, & Constantinopolitana Ecclesia. Quin & impressa exemplaria id commentum refutant.

Affirmare, Iure humano uere sic dicto, a Cæsariis bus, Ecclesiam Romanam esse supremam, ac possidere eodem pagos, urbes, ditiones, regna, politicam Iurisdictionem & reliqua. Sed mentiuntur splendide & turpissime Gnathones & parasiti Pontificij status, quod de Constantino Magno fabulantur, ac mendacium quidem coarguit satis splendide & grauiter, uel hæc una res, quod filij Constantini inter se regna partiuntur ac possident, non protestante aut contradicente Pontifice Romano, id quod factum non fuisset, si Constantinus illa omnia Pontifici Romano dono dedisset. A reliquis vero idolatria & fascinatione Satanica & suppositionibus instrumentis ac Testamētis milleq; alijs fraudibus & imposturis, tantum patrimonium pseudopetrus & pseudopetrini extorserunt. In primis uero, cum ista potentia ac Monarchia Ecclesiastica, sit contraria perspicuum Christi uerbo quod inquit, Reges gentium dominantur VOS AVTEM NON SIC. Prorsus igitur nullo IURE sese pontificij munire aut ornare possunt. Quis enim Ius dicat, quod directe cum Sanctione & iure filij dei unici nostri præceptoris aut doctoris pugnet? Quod Ecclesiastici tantam externam potentiam mundiq; gloriam occuparunt, summa est iniusticia, quia id Christus diserte prohibuit, ut non dicam, quod sit idolatriæ & omnium scelerum neruus aut origo. Ex re ipsa igitur hoc ipsorum celebre dictum natum esse uidetur,

E F F I C I E N T . A N T I C H R

uidetur, ad pontificatum plures more Romuli peruenisse quam Petri, aut etiam illud concinnius, Intrauit ut uulpes, regnauit ut Leo, mortuus est ut Canis. Imo pugnat hæc Tyrannis pontificia cum Iusticia ciuili etiam. Ignauis enim & blasphemis, & latronibus & furibus pie-tatis, honestatis, legum, corporum, animarum, publica siue priuata bona largiri, summa est iniusticia, eo quod Magistratu& subditorum bona abalienentur, & extenuentur, quæ potius augenda erant, sic enim humana so-cietas, debilitatur ac euertitur. Nec potuerunt magistra-tus ullo iure Pontificibus dare, nec illi accipere, cum his ne accipient, illis ne dent, a Christo sit interdictum.

I M P V L S I V A E .

L I B I D O R E G N A N D I M O R E H V I -
L us mundi, etiamsi Christus doceat, regnum suum non esse de hoc mundo.

Libido consequendi licentiam impune agendi quælibet. Nam prius Monarchæ quasi censores erant Ecclesiasticorum, & in ipsorum flagitia grauiter ani-maduertebant, Sed postea eo usq; priuilegia uel potius prauilegia & fastuosa potentia pontificum exceilit, ut statutum sit, neque ab Ecclesiasticis, neq; a laicis, siue Monarchis, siue alijs, Pontificem iudicari posse, nisi a so-lo Deo. Eam licentiam etiam infimi quicq; ex spiritualium (uti per Antiphrasin aut etiam a malis Spiritibus uocantur) sibi contra Magistratus politicos, per summum nephias arrogarunt.

Monarcharum uero & aliorum ut Ecclesiasticiam potentiam & magnificentiam augerent, ac pateren-

IMPULSIVA ANTICHR.

tir eam uelutī diluuiio quodam inundare, impulsua fu-
it falsa pietas, uana deuotio & supersticio, ac religionis
ueræ extrema inscitia. Sic enim ab Antichristi organis
persuadebantur, se eiusmodi largitionibus Deo præsta-
re longe gratissimum & maximum cultum, & mereri si-
bi suisq; immunitatem ab inferno & æternam salutem.

CONTRARIA.

AS SERERE QVOD EIVSMODI EC-
clesiastica Monarchia, propter bonum ordinem,
concordiam, & in primis, ut tali potentia hæreses recti-
us & neruosius coherceri ac compesci possint, & insti-
tuta & necessaria sit. Nam Anarchiam ut regno politi-
co, ita etiam Ecclesiæ Dei esse pestiferam & exitiosam.
Sed caput Ecclesiæ Christus est. Potestas eius spiritualis
est, nempe pia, seria & grauis clauium administratio, or-
do in qualibet Parochia, prodiscrimine donorum Dei,
salutaris est. Armis spiritualibus, confessione, uoce,
scriptis, confutationibus, hæreses ostendi & destrui ne-
celle est. De blasphemis apertis ac notoriis constringen-
dis & puniendis, Magistratus politicus sua habet cum
præceptatum neruos. In quibus quidem rebus suo quo-
dam modo ac termino Magistratus subseruire ministe-
rio, & nutricius ac promotor esse Ecclesiæ & ueritatis
deberet.

Asserere pontificios non libidine regnandi pri-
matum affectasse & comparasse, qua Papa sese seruum
seruorum dicat. Nam titulo suo contraria egit, ac testari
tut historiæ, quomodo Cæsaribus & Ecclesijs dominus

MATERIALES ANTICHR.

tus sit. Dominandi autem libidinem taxat Iesus in illo,
Vos autem non sic. Et Paulus. 2 Thes. 2. qui effertur ad
uersus prædicatum Deum, & Petrus. 2. Epistola. 2. Do-
minationem contemnunt.

MATERIALES EX QVIBUS.

IN GENERE, EXTERNA POTENTIA
ministrorum Ecclesiae. Negligentia in docendo. Hoc
minum securitas. Matt. 13.

Gentilismi & Iudaismi confusio & ~~xxxviiij~~, id quod
similitudo cultuum ostendit & probat.

Ecclesia depravata, & mundanum regnum deprava-
tum, & utrorumque impia & exitiosa commixtio &
conuulsio.

In specie. Doctrinæ cœlestis, hoc est, summorum
articulorum fidei inclinatio, adulteratio & corruptio
per philosophiam. Estq; talis articulorum fidei natura
& copulatio, ut uno labefactato, ruina se in cœteros
quoq; extendat.

Ruditas & inscita pluri morum doctorum Eccles-
iae, id quod exponit historia Ecclesiastica.

Supersticio & Idololatria splendida, ut cum Impe-
rator Leo tertius Constantinopolitanus, qui dictus est
Iconomachus, in oriente simulachra propter idolatri-
am aboleret, Gregorius tertius eam ob causam Impera-
torem Anathemate percussit.

Ambitio, dissidia & factiones Episcoporum &
prælatorum in Ecclesia, sicut conflictationes de prima-
tu Constantinopolitanorum, Hierosolymitanorum &
Antiochenorum, Africanorum & Romanorum Epis-
coporum, evidenter probant. C iiiij Cupi-

MATERIALES ANTICHR.

Cupido potentiae ac licentiae, ut historiae docentes regni mundani, ut testatur sexta Carthaginensis.

Falsa iurta, uel conficta & supposita seu extorta & illicita priuilegia, contra ius diuinum, ut est fragmentum de donatione Constantini, & alia quae in pontificio Iure extant.

Falsationes conciliorum, quemadmodum Zosimus, Bonifacius, & Cœlestinus, canones Niceni Concilij nefarie falsarunt, sicut eos tanti criminis conuincit Sexta carthaginensis Synodus. Nimia quorundam doctorum Ecclesiæ seu reuerentia, seu subiectio, seu adulatio erga Romanos Episcopos.

MATERIALES IN QVIBVS,

MERETRIX EQVITANS.

Bestia gestans. Apocal. 17.

Ecclesiastici cum omnibus suis ordinibus, Laici summi & infimi, uiri ac mulieres, seniores & iuniores ipsi auscultantes & strenuam operam nauantes. Hæc in Apocalypsi manifeste depinguntur.

Regnum Ecclesiasticum, quatenus non est purgatum luce Euangelij.

Regnum politicum Romanum, quatenus non semundauit ac liberauit a fôrdibus Antichristi.

Instrumenta regentia sunt, pontifex Romanus tanquam caput ac basis, cardinales, Episcopi, Suffraganei, canonici, sacrificuli, Monachi, Moniales, Officiales, Chorales, Academias Papisticae, & uniuersa illa lerna unctionum, quorum non est numerus.

Serui

MATERIALES ANTICHR.

Seruientia instrumenta sunt fascinati laici, qui opera pecunias & alia officia qualiacunque illa sint, conferunt. Apoca. 18. scriptum est, De tunc irae fornicationis eius, biberunt omnes GENTES. Et REGES terrae cum ea fornicati sunt, & MERCATORES terrae de uirtute eius diuitiae facti sunt.

Falsi Doctores, manifeste uel cum praetextu tales. Apocal. 19. Et apprehensa est bestia, & cum eo pseudo Propheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt Characterem bestiae, & qui adorauerunt imaginem eius, hoc est, qui Interim & Adiaphora & similes corruptelas suscepereunt.

Pseudo Euangelici, qui suadent imitationem abominationum Antichristi aut conformationem ad eas, qui imitantur eius linguam scientes & uolentes in Articulis fidei, quasi etiam bona opera omnimoda necessitate sint necessaria ad salutem, siquidem nemo sine ipsis saluari possit, nec saluatius sit unquam, qui buccinam suam inflant ista uoce, Quo propius Papae, eo melius, qui contendunt Antichristo eiusque episcopis, esse Iuris dictionem gubernationemque in pios ministros & Ecclesias Christi tradendam, qui docent, relinquendam esse pontifici Romano supremam in Ecclesia Dei autoritatem & potentiam. Qui bellum Antichristi contra Evangelicos, Interim & alios Characteres suscipere nolentes, promouerunt. Et quis tandem illas Maximas seu regulas omnes siue etiam lapides angulares (imo molares potius, de quibus Christus. Matt. 18. grauissime loquitur) recensere potest, ex quibus Papatus uel denouo

MATERIALES ANTICHR.

construitur, uel restauratur, uel confirmatur, uel ornatur, uel glorificatur:

Apostatae manifesti, quales sunt Vicielius, Thame rus, Staphilus, & similes. Nam hi omnes istum finem appetunt, ut ruinas collapsae Babilonis aut Antichristi suis præstigijs, maledictis, mendacijs, parum reputantes quo id iure quaue iniuria fiat (modo amplam prædam redditum accipiant) suffulciant & stabiliant.

Est autem illud regnum Antichristi, in cordibus & animabus hominum, est in corporibus, est in facultatibus, est in legibus, totaque uiuendi ratione. Est etiam in gestibus ac in minutissimo charactere seu larua, ad placandum Antichristum & eius satellites, & denique ad declinandam crucem Christi suscepta. O pestem, o uenenum penetrantius & exitiosius, quam quisque mortalium credat.

MATERIALES CIRCA QVAS.

CIRCA DOCTRINAM ET CIVILITATIS.

Circa res Spirituales & corporales:

Circa res diuinæ & humanas.

Circa religionem uniuersam, & circa Imperia mundana simul, circa leges & denique circa Cererem & Bachum seu totum uictum & amictum, & circa Venetrem, quæ quidem in causa formalí magis patebunt.

LOCVS.

AD MATERIAM IN QVA, ETIAM
Locus pertinet, Christus inquit, abominationem
istam

MATERIALES ANTICHR.

Istam futuram in loco sancto, ubi non debet. Math. 24.
Marci. 13: Dan. 12. Paulus. 2. Thes. 2. in templo Dei, id est
in Ecclesia, ubi Deus habitare & regnare debebat.

Deinde ad locum pertinet Bestia, habens septem capita & cornua decem, id est Romanum Imperium. Matri retrix est ciuitas magna, quae habet regnum super reges terrae, id est ROMA. Apocal. 17. Sicut uaticinium de Antichristo, quod extat. 2. Thess. 2. de Romano statu exponit Tertullianus libro de Resurrectione. Et Irenaeus numerum Apocal. 13. computans, id est, Latinus colligit fore nomen seu statum Antichristi. Nam in Latio habet suam sedem, & consentiunt oracula Sybilla.

CONTRARIA.

AS SERERE, EX PIETATE MERAPATUM seu regnum Antichristi conflatum esse. In hanc igitur classem referendi sunt illi parasiti, qui pingunt & fucant papisticum statum, tantum ut Maximis ac potentissimis Diis, uentri nimirum, Mammonae ac Veteri litent, eosque propitos habeant.

Afferere, quod ex tribu Dan exoriturus sit. Afferere, quod in templo quidem Dei, uerum non nostro, sed veteri iudaico, non Spirituali, sed materiali aut lapideo, non nobis, sed Iudeis uenturus, ut papistae maliciose fingunt & nugantur.

Afferere, quod in Babylone nasciturus aut fortassis etiam in Utopia uel in insulis Luciani, modo non Romae, & in toto illo papistico statu id futurum esse dicatur. Sic Antichristi signunt monstra Antichristorum

D

Afferere,

FORMALES ANTICHR.

Afferere, quod Diabolus humanum corpus sit aſſumpturus, ſicut filius Dei, quam quidem ſententiam Damascenus confutat.

Afferere, quod Mahumetes ſolus ſit ille ſummus Antichr̄iſtus.

FORMALES.

INITIUM ET MATVRATIO Antichr̄iſti.

IPSO TEMPORE APOSTOLORVM
Iſalfi doctores, quaſi ſemina quædam iecerunt, ex quibus Antichr̄iſtus eiusque regnum paulatim exoriretur & cresceret, ſicut Paulus inquit, Mysterium iniquitatis iam agit, 2. Thes. 2.

Deinde ſerpſit occulto uelut arbor æro, ut inquit ille, Nam pedentim & occulte, uere ſtertentibus uigilibus agricaut domus Domini, incrementa ſumſit.

Maturatio seu uirilis ætas fuit, ipſius regni Antichr̄iſtiani ac primatus confirmatio, quæ accidit ſub Phoca Tyranno, ſui proprij Domini Mauricij parricida perfido ac periuro.

Ampliatio atq; dilatatio poſtea ſubſecuta eſt, crientibus erroribus, abominationibus & traditionibus humanis, & accendentibus prædijs, pagis, ciuitatibus, artibus, ditionibus, regnis, & deniq; proṛſus redacto in ſeruitutem pedibusq; ſuis ſubiecto Imperio & Cæſare, totaq; Ecclesia & Christianitate.

FORMA REGNI ANTICHR.

INGENERE. IPSE STATVS PAPIS
Iticus, Interior & exterior,

Forni

FORMALES ANTI CHR.

Fornicatio Spiritalis & corporalis.

In specie. Plures notæ ac proprietates, quæ in diuinis etiam literis prædictæ sunt, ut Idæa tam horrenda Monstrum facilius cognosci ac uitari posset.

I.

ALIENA a Christo alieni pastoris vox Ioh.
10. Non manere in doctrina Christi. 2. Ioh. hoc est Antichristus id habet proprij, quod arroget sibi potestatem condendi articulos fidei, contrarios ihs, quos filius Dei unigenitus, ex sinu patris reuelauit, siue id fiat occulte siue manifeste, cum specie quadam ueri seu artificiosa glossa & fuso, siue non. Exempli gratia,

Christus docet, Qui credit in me, habet uitam æternam, Ioha. 3.

Antichristus docet, Si quis dixerit, Sola fide iustificari impium, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad iustificationis gratiam consequendam cooperetur, Anathema sit. Concil. Triden, sessione sexta, canone 9.

Christus docet, Ioh. 6. Haec est VOLVNTAS eius, qui misit me, ut omnis, qui uidet filium & credit in eum, habeat uitam æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.

Antichristus docet, si quis dixerit Hominem rem tuum vel Iustificatum, teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinorum, Anathema sit, Trident. Concil. sessione, 6. Cano. 15.

Christus docet, se uenisse, ut impleat legem, nimis rum, quia ex operibus legis non iustificabitur omnis homo. Lex enim est peccati cognitio Matt. 5. Rom. 3.

Dij

Antichri-

FORMALES ANTICHR.

Antichristus docet, si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam iustificato & sub gratia constituto, esse ad obserandum impossibilia, Anathema sit, In eodem concilio & sessione, canone decimo octauo. Sed enumerationem atq; Antithesin singulorum articulorum, alibi instituemus.

De eiusmodi autem Antilogijs Christus pronunciat his uerbis, Amen, amen dico uobis, quia ego sum ostium uiuum. Omnes quotquotante me uenerunt, fuores sunt & latrones, & non audierunt eos oues. Ioh. 10. Et Paulus, Si quis aliud Euangelium prædicauerit, Anathema sit. Gal. 1.

Ad hanc autem partem pertinent etiam ista, Sibi suisq; tantum arrogare libertatem & facultatem, controvirschias doctrinæ Ecclesiasticæ dirimendi,

Laicos omnipotestate iudicandi & discernendi iuxta normam uerbi diuinii, quamcunque doctrinam, prorsus priuare, cum tamen Christus dicat, Cauete pseu doprophetas. Matt. 7. Alieni Pastoris uocem non audit. Ioh. 10. Et Paulus, omnia probate, quod bonum est tenete. I. Thes. 5.

Asseuerare, se supra Concilium, supra Ecclesiam, supra uerbum Dei esse, & decreta a se se citra omnem contradictionem, tanquam ex coelis a Spiritu sancto dictata, esse accipienda & credenda, Concilium Constantiense.

2.

IACTANTIA Manifesta, quod sit Deus. 2.
Thess. 2. Daniel. 12.

Huc

FORMALES ANTICHR.

Huc pertinēt illi magnifici tituli, Papam esse vice
carium Christi.

Esse semideum,

Esse quoddam ENS secundæ intentionis, com-
positum ex Deo & homine, sicut parasiti pontificij fu-
renter gloriantur.

Esse Oecumenicum ac caput, & basin, seu Petram
Ecclesiae, contra quam petram nequeant præualere por-
tae inferorum, nisi quod semel Sanctissima Papa Iohannes
ne octauo, in publica processione pariente, fundamen-
tum prope totum disiectum fuerit, Pape Papa.

3.

SACRAMENTORVM, immediate a
Christo institutorum foeda, & horribilis prophanatio,
adulteratio, peruersio, mutilatio, pollutio, abusus.

Maozin colere auro, argento & lapide precioso
Daniel.12. hoc est Missas priuatas & publicas, angulares
seu columnales, & in summo altari, pro triuis & defunc-
tis, pro negociationibus seu lucris, pro uenationibus,
pro bellis & alijs rebus recitare. In altari coenam Domini
nisi patri coelesti offerre, certo & foecundissimo quaestu:
Cum tamen coena Domini sit actio, in qua hominibus
aliquid exhibetur a Deo, & iubentur edere corpus
Christi & bibere eius sanguinem, additis elementis pa-
nis & uini. Horribilis igitur Metamorphosis & blasphem-
ia est, illud quod Deus nobis exhibit, nosq; sumere iu-
bet, contra Dei uoluntatem & seuerum mandatum cer-
to uerbo expressum, ipsi uelle offerre. Neq; uero sibi ac
cipere edere ac bibere idem sunt, quod offerre, id quod

D iii

vel

FORMALES ANTICHR.

uel stupidissimus quisq; intelligit. Summa etiam contra Christi sacrificium blasphemia est, ista sacrificiorum oblatio. Nam Christus, unica oblatione consummavit Sanctos in sempiternum Heb. io.

Vnam partem coenæ dominicæ, quæ quidem expresse uniuersale mandatum habet, nimirum haustum sauguinis Christi, in uniuersum laicis, publico etiam decreto subtrahere, quod facit Concilium Constantiense, anno domini millesimo quadragecentesimo, decimo quinto.

Panem consecratum Monstranciæ ut appellant, includere, & more Persico, qui ignem circumferebant & colebant, in solennitatibus circum gestare, summa cum superstitione & ludibrio ipsius Christi, qui iussit edere, non spectare, multo minus adorare aut inuocare.

Claues pro arbitrio usurpare, extorquere ipsarum ui debitas pecunias & reditus, uel potentiam mundanam. Indulgentias tali Encomio uenditare, quod aureo tintiente in eistam Indulgentiariam, elocato pro redemptione Papalium indulgentiarum, animæ existentium in purgatorio euolent in cœlum, Sicut Teczel, Anno domini millesimo quingentesimo decimo septimo uociferabatur.

Vnctioni & confirmationi & Monachatui, tantum tribuere, quantum Baptismo.

Campanas & altaria baptisare.

Plura sacramenta fingere, quorum quædam nullum uerbum aut mandatum DEI habent, quædam uero tum elementis a Christo ordinatis, tum etiam pro missione

FORMALES ANTICHR.

missione gratiae ac mandato uniuersali destituuntur,
cum tam uerbum aut mandatum, quam elementum ne
cessario ad constitutionem Sacramentipertineant.

4.

ADORARE dæmonia & simulachra aurea & ar-
gentea & ærea, & lapidea, & lignea, quæ necq; uidere
possunt, necq; audire, necq; ambulare: Apoca. 9. hoc est,
Idololatria creaturarum seu Sanctorum defunctorum,
statuarum, imaginum inuocatio & cultus.

Ethnica Apotheosis & Canonizatio in numero-
rum Sanctorum, etiam eorum, qui sceleratissimi fuerunt.

Veneratio reliquiarum super stictiosa, Enthusiasti-
æ cursiones ad eas, uel potius ad truncos seu lapides,
hominum facies repræsentantes.

5.

CVLTVS Falsi & traditiones humanæ, isto
potissimum fine, quasi Christus, hoc est Salus, ex ipsa-
rum obseruatione obueniat, sicut Christus ipse met dilu-
cide & significanter prædicit, Matt. 24. Si dixerint uo-
bis, Ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetrali-
bus est, nolite credere. Deserta autem sunt, Eremitarum
ordines, penetralia uero seu cellulæ sunt reliqui uario-
rum Monachorum seu cœnobitarum ordines, Vbi iu-
bentur homines, se abdere in conclauiâ seu cubicula
seu cellas, & ibi certis obseruationibus mereri salutem.
Huc referendæ sunt infinitæ species cellulistarum, post
tempora Apostolorum exortorum, quorundam patrum

FORMALES ANTICHTI.

titulos præse ferentium, ut Augustini, Bernhardi, Francisci, Dominicī & aliorum. Deniq; etiam ne non satisficeret prophetiæ Christi, Paulus quartus pontifex Romanus, Iesuitarum ordinem, hoc est hominum ex profiliato Christo gloriam nomenq; quærentium, ante paucos annos adiecit, qui forte erit ultimus.

Pertinent huc quoq; Canonorum ignobilium (Nam uere nobilium nulla sunt, siquidem nobilitatis nomen, quod non uirtute pararunt, sed ex parentibus accepterunt, ipsa abnegatione pietatis, impia atque sceleratissima uita, eluunt omnino atq; abiiciunt, ut uerius Nobilia Antichristi mancipia siant, dicique mereantur, nisi conuertantur) collegia & actiones, quamvis initio utiles quasdam scholas fuisse Monasteria & illa Canonorum collegia, quidam tradant. Et bibliothecæ eorum, auditoria ac officiorum nomina ad huc, ut uestigia scholarum restantia, testantur.

6.

SEVERISSIMA sanctio prohibens Ecclesiasticis coniugium, sub peccato mortali & pena corporali atq; æterna. I. Timoth. 4. Vbi quidem Paulus eam legem, nihil formidans pontificiorum fulmina, doctrinam dæmoniorum appellat. Huc pertinent uota castitatis sine discrime exacta.

Dissoluere matrimonia rite contracta religionis ergo, ut in cellulis iuxta Christi præmonitionem queratur Christus seu Salus.

Docere, liberos sese citra uoluntatem parentum posse

FORMALES ANTICHR

posse Monasticæ uitæ mancipare, æternoque uoto ob-
stringere.

7.

CIBORVM certorum prohibito statis diebus,
ita quidem, ut conscientiæ grauentur, si contra fiat. I. Ti-
moth 4. Et hanc legem Paulus Antichristo adscribens,
pronunciat esse doctrinam Diabolicam, Nam Deum
ad liberum usum creaturas condidisse, modo percipian-
tur cum gratiarum actione.

Huc referenda sunt ieunia, quæ quidem sunt car-
nificinae pauperum & delitiae ac helluationes opulento-
rum, maxime vero Ecclesiasticorum.

8.

CEREMONIARVM Ecclesiasticarum nimia su-
persticio saque cumulatio, impediens studium docendi
& discendi uerbum Dei, & quidem lingua peregrina, ubi
populus præter strepitus & fragores boantiū aut ruden-
tium asinorum nihil audiat, percipiat, sentiat, ac tantum
veluti attonitus istas theatricas actiones spectet, inani-
q; sono aures pascat sine omni solida aut salutari do-
ctrina, contra Pauli præceptum, quod omnia ad ædifi-
cationem dirigenda sint, & nota lingua ad populum
agendum. I. Cor. 14.

9.

VIRTUTES, signa, prodigia falsa & mendacia,
ad fascinandos & dementandos homines comparata, ut
impijs dogmatibus pleniores fidem adhibeant, & fa-

E cultati-

FORMALES ANTICHR.

cultatibus suis egregie emungantur. Matt. 24. 2. Thess.
2. Eiusmodi autem signa sunt.

Apparitiones animarum hominum recens de funtorum, efflagitantium Missas aut alios superstitionis ritus, cum uerbo Dei pugnantes.

Sudores & cruxores, Risus & fletus, sermones & gestus statuarum & imaginum, & mille aliae huiusmodi in posturæ, quæ interdum arte sic confectæ fuerunt, interdum uero illusione Diabolica sic comparatae.

Enthusiasticæ cursiones in remota loca, neglegentis uocationibus, ad truncos, ab homine in humanam formam effectos, uel ad ossa falso plerunque nominata Sanctorum.

Sanationes quædam, factis uotis ad aliquem Diuum, aut uisitatis templis atque simulachris alicui sancto dedicatis, ibique persolutis donarijs.

10.

TRANSFORMATIO regni Spiritualis in mundanum, seu mixtura utriuscumque, ut nimirum Ecclesiastici teneant regna mundi & gloriæ eius. De ista proprietate parens Antichristi filij sui dignissimi, ipse met prædictum, si inquit procidens adoraueris me, dabo tibi regna huius mundi, & gloriam eius. Matth. 4. Congruit figura mentum de donatione Constantini, in quo est, quod pontifices Romani debeant gestare coronam cæsaream, albos equos equitare, & Imperiali chlamide uti, & quæ illic sunt nugæ in numeræ.

Affirmat Papa in suo Iure, se se Dominum esse omnium

FOR M A L E S T A N T I C H R

omnirum feudorum, & omnes eius esse beneficiarios &
usaflos.

Alexander tertius Fridericum Barbarosam, pro-
stratum in terram, pedibus calcat, super aspidem & ba-
siliscum se ambulare proclamans, cum ipse esset draco
infernalis, cumq; Imperator Petro se istum honorem
exhibere, diceret respondit Alexander, & mihi & Pe-
ro.

Pulchre etiam congruit historia Bonifacij octauj,
Qui uno die, pontificali suo ornatu cum clavibus proce-
dens, se tanquam supremum Episcopum ostentauit, Al-
tero autem die imperatorum Romanorum uestimentis
indutus, gladium nudum ante se monstrauit, ac iussit
proclamari, Ecce duo gladij hic, contra illud, quod
Christus inquit, Regnum meum non est de hoc mundo
Huc spectat, quod pontifices Romani Cæsaribus ac Re-
gibus pedes osculandos præbent.

Petrus inquit, Antichristum delicijs affluere, &
in elemosynis hominum luxuriare, 2. pet. 2.

Hæc omnia Christus ipse damnat, Reges inquit
gentium dominantur, VOS AVTEM NON SIC.
Et Concilium sextum Carthaginense, appellat prima-
rum FVMOSVM huius seculi typum, qui sit omnino
in Ecclesiastico regimine fugiendus:

FORNICATIO corporalis, quæ comitatur le-
gem de uitando matrimonio, & esse immunem ab om-
ni reprehensione & poena Magistratum, 2. Pet. 2. Ocu-

FORMALES ANTICHR.

Ios habentes plenos adulterij, & non cessantes pescare.

Tempore Gregorij primi in una piscina, quæ iuxta quoddam frequentissimum collegium sacrarum ultra ginum, uti perperam vocantur, fuit, ultra sexies mille infantium capita reperta sunt. Quantum vero occisorum infantium numerum esse censes, qui in tot coenobitis Monachorum, Nonnarum, in tot collegijs canoniciorum & sacrificulorum, tot seculis toto orbe terrarum, crudeliter imperfecti sunt, quorum innocens sanguis ad Deum uiuum proculdubio clamat, poenasque exigit.

Census sanctissimi Papæ, quem Romæ quotannis de scortis exigit & accipit, quæ Cardinales, Episcopi, Canonici, Sacrifici & eius farinæ homines alunt, ad alias quot millia coronatorum excurrit, quidam 30000, quidam maiorem numerum indicant.

In regno Papistico, passim Officiales nomine Episcoporum suorum, magnum questum faciunt quotannis, ex pecunia procurationis ut appellant, qua Ecclesiasticus emit sibi libertatem alendi scortum unum seu plus per annum (Nam alienas filias ac uxores saltem caute, si non caste, inuisere nullum crimen est) & manet coram Deo (hoc est Satana) & coram castissimo Papa Sardanapalo aut Heliogabalo, Episcopis & laicis, purissimus uirgo, quicq; id non credit, Anathemate dignus est. Item tantus pecuniae procurationis usus fuit, ut nunc etiam tempore patefacti Euangelij, a ueris ministris uerbis dei ea exigatur, & ornetur a collusoribus Antichristi

alii

FORMALES ANTICHR.

alijs titulis, quasi sit debitum secundum quid, uel etiam pecunia defensionis. Causa est, quia oportet habere, est certus usus ei pecuniae destinatus. O raptores, o lenones. Sunt Relatiua, procuratio & pecunia procurationis, Synodi & Synodalia, & decretum pontificium pronunciat in eos sententiam excommunicationis, qui exigit preium, neque uere impendent illam operam, pro qua pecunia postulatur.

Est Episcopatus celebris in Germania, ubi olim uicini comites pro ea opera, quod Episcopum nouum in introductione ex latere comitati sunt, eximij priuilegij ac remunerationis loco consecuti sunt annuos redditus, qui magni sati fuerunt, ex publico prostibulo eius ciuitatis, ubi Episcopus cum suo examine habitare consuevit. Ecce praeclarum deoque gratum praemium pro praeclara opera.

12.

PERSECUTIO externa eaque atrocissima eorum, qui Antichristo contradicunt, uel in minimis. Apoca. 17. Et uidimulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Iesu. Et cap. 18. In ea sanguis Prophetarum & sanctorum inuentus est, & omnium qui interfecti sunt in terra.

Pontifex Romanus alit perpetuum militum praesidium ac stipatores, gerit bella aduersus ciuitates, principes, Monarchas.

Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo, sexto, Paulus tertius Heluetijs scribebat, secessit. E iij VI

FORMALES ANTICHR.

VI acq ARMIS |deleturum esse Euangelicos, ut uocant, a se dissentientes. Ecce clauigerum Petrum, seu potius clauam gerentem Cacum Romanum.

Ferro, igni, aqua & omnis generis tormentis atque supplicijs animaduertitur in Belgico, Italia, Gallia, Hispania, in eos maxime, qui synceram Euangelij doctrinam profitentur.

Decet enim Antichristum, sui autoris uirtutes aemulari, ut nimisrum non tantum mendacijs fœuiat, sed etiam immanibus cædibus & carnificina gressetur in pios.

13.

ANOMIA generalis in rebus omnibus. 2. Thess.
2. Faciet quicquid libitum fuerit. Infinitam enim sibi Antichristus licentiam arripit, quod nimisrum errare & peccare etiam horribilissime errando & peccando non possit. Omnia enim iura sunt, ut ipsius leges mentiuntur, in scrinio pectoris eius, & illi est pro ratione voluntas. Distin. 40. C. Si Papa. Etiamsi Papa innumeras animas secum in infernum abripiat, tamen nemo debet eum redarguere O Diabolicam Anomian & quiduis agendi ac patrandi impunitatem.

REVELATIO ANTICHRISTI.

ETSI IN ECCLESIA, POST CHRISTVM exhibitum, omnibus ætatibus ex ingenti misericordia excitauit aliquos Deus, qui agnoscerent, taxarent, & execrarentur Antichristum, tamen prædictum aliquam singularem, euidentem, publicam, efficacem, & quasi generalem

FORMALES ANTICHR.

neralem ipsius patefactionem, clara uoce ministro-
rum in Ecclesia sua perficiendam, sicut docet Paulus. 2.
Thess. 2. Tunc inquit REVELABITVR ille ^{avocat}
(exlex) quem Dominus Iesus interficiet SPIRITU
ORIS sui.

Eius reuelationis Ministri tres Angeli, id est, Docto-
res uerbi Dei in Apocal. 14. recitantur.

Primi Angeli uox est, Timete Deum & date ei glo-
riam, quia uenit hora iudicij eius, & adorate eum, qui
fecit cœlum & terram, mare & fontes aquarum.

Prælustror celeberrimæ Reuelationis Antichristi,
& quasi stridor primus Spiritus oris Christi extitit Io-
hannes Huss (licet & ante eum fuerint, qui non nihil
eius cantioní præluserint) testificans coram Cæsare,
Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, Sacrificis, totoq;
mundo, Pontificium statum esse ipsissimum Antichri-
stum iam iam reuelandum, Anno domini millesimo
quadrinquentessimo decimo quarto & paulo ante.

Secundi angeli uox, Cecidit, cecidit Babylon, ci-
uitas illa magna, quia ex uno fornicationis suæ potauit
omnes gentes!

Fortissimus ille Spiritus oris Christi, fundamenta
Antichristianismi concutiens, & in apricum quasi pro-
ferens, est D. Martinus Lutherus, inspirante atq; per os
eius concionante Spiritu Sancto, ualidissime atq; om-
nium clarissime ostendens atque euincens, integrum
Pontificium statum, res & actiones, esse Antichristum
diuinitus prædictum, Atq; eius haereses, horrendas blas-
phemias, technas, superstitiones, idolomanias, flagitia,

E iiiij tyranni

FORMALES ANTICHTI.

tyrannides, animæcidia, parricidia, furta, rapinas, omnium aspectu luculenter proponens, uoce, scriptis, picturis, Anno domini millesimo quingentesimo decimo septimo & aliquot sequentibus, denique non dubitauit hoc uaticinium loco Epitaphij sui ipsemet condere.

Pestis eram uiuens, moriens ero mors tua, Papa.

Tertiæ angelî uox est, si quis adorauerit bestiam & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de uino iræ dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Item, Apocal. 18, Exite ex illa populus meus, ne participes fiatis delictorum eius, & de plagiis eius non accipiatis.

Illi angelî subsequentes, sunt omnes sinceri & constantes uerbi dei ministri, clamantes, ne fiant conciliações cum Antichristo, ne ipsorum corruptelæ accipiantur & aliqua callida glossula fucentur, ne larua ceremoniarum Antichristi induatur, ne quis hospitium uel auxilium ad ipsorum idolomanias præbeat, sed postius omnes ex illa Spirituali Sodoma longissime aufugiant &c. Quorum Antesignani hoc quidem tempore noti sunt.

Norma reuelationis, iudicij, cognitionis, fugæ, execrationis Antichristi, est uerbum Dei, iuxta notas supra commemoratas.

Quam diu uero tempus reuelationis duraturum sit in hac mundi senecta & sentina, usq; ad totalem Antichristi abolitionem, non omnino explicatum est. Numeros in Apocalypsi expressos, qui uolet scrutetur, cum Interim quidem durațione conuenit numerus 42, mensium,

DB

FORMALES ANTICHR.
DESTRVCTIO ANTICHRISTI

REVELATIONEM OMNIUM ILLVstrissimam Antichristi, coram toto genere humano, quod omnibus seculis in hoc mundo exitit, & destructionem atq; extirpationem eius finalem, exhibebit ipse Jesus Christus, in maiestate ad iudicandum viuos atq; mortuos reuersus, sicut ex Spiritu Sancto indubitanter prædicit Paulus. 2. Thess, 2. Destruet, inquit eum apparitione aduentus sui. Tam alte enim in præsenti seculo radices egit Antichristus Satanæ ministerio, & tanta est hominum hoc tempore scienter in suum æternum exitium per Antichristi adorationem ruentium, ut licentis licet reuelatus sit, tamen non deleatur penitus, Sed subinde ad priorē gloriam, magnificantiam & potentiam, incassum tamen aspíret, distribuendo terras, prouincias & opes. id est Episcopatus, abbatias, præpositur, ascanoniciatus & similia, procidentibus & adorantibus se.

CONTRARIA.

ASSEVERARE, illa testimonia non pertinere aut quadrare ad Antichristum, quæ tamen sunt euidentissima, & illustrantur eventu, qui ob oculos uersatur.

Asseuerare, nullum ad huc esse Antichristum uel exhibitum uel reuelatum, ideo frustra eius formam despigi, id quod similiter cum uerbo Dei & eventu pugnat.

Asseuerare ueros doctores esse Antichristum, ut Sydonius & Staphylus contra manifestam scripturam conuiciantur.

F

Asseue-

FORMALES ANTICHR.

Asseuerare, tantum hæreticos quosdam ueteres, (quales fuerunt Cerinthius, Arius, & alij) uel etiam recentem Seruetum, esse Antichristos, non simul & quidem omnium maxime papisticum illum statum in Ecclesia, contra uerbum dei & experientiam.

Asseuerare, pontificium statum, dignitate & gradu, iam inde ab Apostolis eundem fuisse, neque post sexcentos annos a Christo exhibito, tandem primum coepisse longe lateque dominari, id quod refutat historia.

Asseuerare, doctrinam pontificiam in articulis fidei non discordare a Christo, Apostolis, Prophetis, & syncerae Ecclesiæ Christi testimonij, professione & scriptis, contra manifestas demonstrationes.

Asseuerare, primatum, autoritatem & reliqua, pontificem Romanum, & eius Episcopos atque organa uniuersa possidere, iure humano uere sic dicto, & hæc omnia eis relinquenda. Eck Adiaphoristæ, idq; contra ius diuinum ac humanum. Nam quod iuri diuino contrarium est, a nullo homine iure statui potest, Et Paulus. 2. Thess. 2. & Apocal. 13. iure Diaboli Antichristum regnaturum dixerunt.

Asseuerare, Sacraenta Papistica carere uitio, quod nihil aliud est, quam manifestissimas superstitiones excusat.

Asseuerare, septem sacramenta more Papistico posse recenseri, contra scripturam sanctam. Interimistæ.

Asseuerare, saltem Monstrantias uacuas pane consecrato, posse circum templo, & in processionibus gestari,

FORMALES ANTICHR.

stari, contra illud, Ab omni specie malí abstine te.
Thess. 5.

Asseuerare, uenerationem statuarum & imaginum, non omnino aspernandam esse, contra primum Decalogi præceptum.

Asseuerare, collegia Canonicorum & Monasteria conseruanda esse, in quæ familiæ magnæ liberos quibus abundant, exonerare & extrudere possint, quo reliqui soli possidentes hæreditatem paternam, eo splendidius aut etiam profusius luxui & fastui indulgeret queant, ut Papistæ, Interimistæ, filij huius seculi contra doctrinam de fugiendo Antichristo & characteribus eius, sentiunt.

Asseuerare, certorum ciborum usum ita posse etiamnum prohiberi siue ab Ecclesiasticis siue a politicis, ut peccent, qui secus faciant. Interimistæ & Adiaphoristæ, contra Paulum, qui docet, liberum creaturarum usum ab ipso Deo permisum esse, I. Timoth. 4.

Asseuerare, Ceremonias Papisticas in Agendis, Missalibus, pontificalibus, Breuiarijs, emendatis duntaxat quibusdam, posse recipi & exerceri, ac peccatum esse, quod multæ initio instaurati Euangelij sunt abolitæ. Interimistæ, Adiaphoristæ, Somniatores, contra doctrinam Pauli, Nolite iugum trahere cum infidelibus 2. Cor. 6.

Asseuerare Iurisdictiones etiam ciuiles, quas habent Papa, Episcopi, & reliqua ipsorum membra Ecclesiastica, ut uocantur, iure humano ac legitimo obtinere

F ij neri

FORMALES ANTICHR.

heriac possideri, contra uocem Christi, Vos autem non sic.

Asseuerare, scelera Papistarum non esse tam atrocia, quam proclamantur ab horridis concionatoribus. Filij huius mundi, Apostatae, contra uerbum Dei, Existite. Item Reddite ei duplum.

Asseuerare, non esse Antichristi faciendam mentionem in concionibus uel scriptis publicis. Tantum licitum esse in miseros ac pedicululos Monachos omnem bilem effundere, & acutas in eos stringere pennas, quasi ipsi falsarint doctrinam coelestem, uerum non fas esse in dicere quod ipsi sint uel faltem qualiscunque particula Antichristi, neque uel nutu signare, quod nam, & ubi sit reliquum eius corpus. Interimistae, Adiaphoristae, canes muti.

Asseuerare non esse necesse, adeo acriter Papam accusari, cum Papahic non sit, Eundum esse Romanum, si quis eum uelit accusare.

Asseuerare, ex Stoicismo, philonikia, impudentia, multa contra Papatum (quem Antichristum esse ipsissimae notae clarissime evincunt & demonstrant) esse factitata & adhuc fieri, Adiaphoristae, In Cameris Sommiantores.

Negare, Interim & alias formulas reconciliatorum cum Papistis, ab anno Domini quadragesimo octavo usque huc, in religione & Ceremonijs factas, esse characteres Antichristi, aut eius Regnum promouere.

Affirmare, Episcopos Pallium a pontifice Romano ementes, eum adorantes, illiqz se diris iuramentis obstringen-

FINALES ANTICHR.

Stringentes & deuouentes, & Papisticis ritibus consecratos, Patronos idolatriæ & status Antichristi, esse Augustanæ confessionis, contra illud, qui non est mecum, contra me est. Et Nemo potest duobus Dominis seruire.

Negare, instauratores & receptores sacrificiorum eorumq; cultuum, esse hospites & Tutores Antichristi.

Assederare, Antichristi statum deleri penitus posse, ante Christi postremum ac gloriosum aduentum.

Hactenus igitur de causa formalis.

FINALES.

QVOS FINES APPETANT ET AD quostendant Saranas, fundator & Rector Antichristi, ipseq; Antichristus cum uniuersa sua suorum q; membrorum compage, numerosaq; cohorte, ex ipsa Idaea seu forma, quam tuncq; delineauimus, manifestum est, nimirum.

Obscurare & deformare Christum, eius meritū, honorem, & cultus. Nam illa omnia transfert Antichristus in hominum conatus & opera, & in mortuos quos uocat sanctos, eoq; homines errabundos abducit. Inde Paulus eum appellat ipsam ^{antostoriar}, non simplicem apostamatam. 2. Thess. 2.

Obscurare & deformare regnum Christi Spiritua per mixto corporali. Matt. 4. Vastare uineā Christi. Colere Deum Maozim auro & argento.

Corporalem eminentiam in Ecclesiastico & politico regno obtinere, eoque neruo & priuilegio,

F. ii quiduis

FINALES ANTICHR

quiduis audere & patrare in utroque, hoc est vexare summos & infimos, Spiritualiter & corporaliter. Hoc uero illud est quod Meretrix Bestiae inequitat tanto fastu, & reges terrae eam supplices uenerantur. Apoca. 17.

Politican gubernationem eneruare, perturbare, spoliare & pedibus, proterere, decretis, Bullis, excommunicationibus. Estq; dignissimum obseruatione, Romano imperio labefactato, creuisse & regnasse Antichristum. Et in quacunq; ciuitate frequentiores ac potentiores sunt Sacrifici, ibi reliquit uulgas ciuium tandem fiunt meri eorum serui, famulæ & scorta.

Emungere homines pecunia, agris, syluis, pratis, aquis, dignitatibus, facultatibus, tanium uanis superstitionibus & illusionibus, & gaudijs mundanis abundanter frui. Ex paupertatis gradu non tantum medio, sed infimo quoq;, subito ad mediocrem, uel etiam summum diuiciarum & luxuriæ gradum ascendere Matt. 4. An non eo fine tanta multitudo otiosorum porcorum, in Collegia & Monasteria, ueluti locustarum exercitus, aut corui ad cadauer inuolarunt?

Dominari conscientijs, eas perturbare & laqueos eis iniucere, ubi libertas & immunitas esse debebant.

In errorem inducere plurimos. Matth: 24.

Falsos cultus exercere, quibus deus offenditur, ibi dem.

Corruptelis doctrinæ & cultuum, quasi portas ad omnis generis deceptiones & errores patefacere 2. The. 2.

Diabolum recipere una cum suis septem socijs nequioribus ueteri, eos colere, eorumq; regnum amplificare & ornare Matt. 4. 12. Apoca. 17. Mer-

FINALES ANTICHR.

Merces ad magnificientiam Antichristi ex longin
quis terris aduehere, uendere, & eius negociaione in-
gentes opes consequi. Apoc. 18,

Contemnere legitimum amorem mulierum, de-
spectum reddere cœlibatum, & omnia libidinibus fœ-
dere & conspurcare.

POENAE.

Poenæ sunt iræ diuinæ executio, quarum quasdam
iam attigimus.

CORPORALES POENAE ANTICHRISTI & sociorum eius.

APOCAL. 16. QVIA SANGVINEM SANCTORUM & Prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere Item. Factum est regnum eius tenebrosum, & commanduauerunt linguis suas præ dolore, & blasphemauerunt Deum cœli prædoloribus & uulnibus suis, & non egerunt poenitentiam ab omnibus operibus suis.

Apoca. 17. In interitum ibit, & mirabuntur habitatores in terra, quorum nomina scripta non sunt in libro uitæ. Item decem cornua, quæ uidisti in Bestia, hî odio habebunt fornicariam, & desolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igne cremabunt, Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum est illi, ut dent regnum suum bestiæ, donec consummentur uerba Dei.

Apoc. 18. Pergenterunt peccata eius usq; ad cœlum,
E iiiij

FINALES ANTICHR.

Ium, & recordatus est Dominus iniuritatum eius, Redite illi sicut & ipsa reddidit uobis, & duplicate ei duplicita secundum opera eius. In poculo, quo miscuit uobis, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum, quia in corde suo dicit Sedeo Regina & uidea non ero, & luctum non uidebo. Ideo in una die uenient plagae eius, mors & luctus & fames, & igne comburetur, quia fortis est Dominus Deus, qui iudicat illam.

Apocal. 16. Et factum est ulcus sauum & pessimum in hominibus, qui habebant Characterem bestie & in eos qui adorauerunt bestiam & imaginem eius. Et secundus Angelus effudit phialam suam in mare, & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima uiuens mortua est in mari. Et tertius Angelus effudit phialam suam super flumina & super fontes aquarum, & factus est sanguis.

Apoca. 18. Et flebunt & plangent super illam reges terrae, qui cum ea fornicati sunt, & in deliciis uixerunt, cum uiderint fumum incendiij eius longe stantes propter timorem tormentorum eius & dicentes, Vae, uae ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis, quoniam una hora uenit iudicium tuum. Et negociatores terrae flebunt & lugebunt super seipso, quoniam merces eorum nemo emet amplius, merces auri & argenti & lapidis preciosi & margaritae, & byssi & purpurae, & ceci, & omne lignum thinum, & omnia uasa eburnea, & omnia uasa ex ligno precioso & ære, & ferro, & marmore, & cinamomum & odoramenta & unguenta & thus

FINALES ANTICHR.

thūs & uinum, & oleum & similam & triticum, iumenta & oues & equos, & r̄hēdas & mancipia & animas hominum.

Corporales pœnæ priuatæ, facultatum maledictio, liberorum degneratio, adulteria, stupra, fornicationes, alijq̄ repentina casus, qui de ira Dei testimonium perhibent.

Publicæ clades & calamitates, ut bella, uastationes, infusiones peregrinarum gentium, Turcarum fœlicias, progressus & imperium.

SPIRITUALES POENAE.

RE CIPERE DIABOLVM HOSTEM DEI & totius generis humani. Matt. 12. Excecarī & trādi in reprobū sensum, fieri organon Diaboli, erroribus implicari. 2. Thess. 2. Eo quod charitatem ueritatis non receperunt, ut salui fierent, Ideo mittet illis Deus efficacem imposturam, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt ueritati, sed consenserunt iniquitatī. Exuere pietatem, incidere in Epia cureismum, odisse recte sentientes, & exercere persecutionem erga pios, uel oblique uel directe, uel tecte uel aperte, uel scienter uel inscienter. Istæ pœnæ non sunt parui momenti. Est enim hæc regula catholice uera, Quicunq̄ uenantur aut captant præmia ab Antichristo, illi coguntur Diabolo genu flectere. Matt. 4. Deniq̄ pœna Antchristianismi in hac uita est, pessima conscientia & DESPERATIO, quia cordi omnis materia consolationum eripitur.

G

Aeternæ

FINALES ANTICHR.

ÆTERNAE POENAE ANTICHRISTI
& Sociorum eius.

APOCA. 14. SI QVIS ADORAVERIT BESTIAM & imaginem eius, & acceperit characterem in fronte sua, aut in manu sua, hic bibet de uino iræ dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius. Et cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni, & fumus supplicij eorum ascendet in secula seculorum. Nec habebunt requiem die ac nocte, qui adorauerunt bestiam & imaginem eius, & si quis acceperit characterem nominis eius.

Apoca. 19. Et apprehensa est bestia, & cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiae & qui adorauerunt imaginem eius, uiui missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis & sulphuris.

Apoca. 20. Diabolus, qui seducit eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & Bestia & pseudo Prophetæ (id est totus chorus Ecclesiasticarum personarum & reliquorum Antichristi statum defendantium) cruciabuntur, die ac nocte in secula seculorum.

COGNATA.

COOG ET MAGOG. APOCA. 20. ETSI ENIM tota religione a Christo diuersissunt, ac nomen Ecclesiae Christi abhorrent, tamen in eo sunt Antichristo affines, quod Christo eiusque doctrinæ & Sacramentis maledicunt, & omnes Christianos Diabolico furore & immanitate inaudita persequuntur & quod per sua

COGNATA ANTICHR

sua bona opera salui fieri uelint, Sacrasque literas contemnunt.

Ethnici, Tartari, Mammelucæ & similes.

Hospitio & patrocinio Antichristi seruos & impios cultus fouere & conniuere ad omnia.

Mercibus & alijs officijs impios cultus adiuuare, promouere & ornare. Apoc. 18.

Primum super totam Ecclesiam Christi Papæ Romano, & summam Iurisdictionem eius Episcopis non conuersis, uel tempore persecutionis uel extra largiri, uel saltem excusare. Adiaphoristæ.

In erim, Interimizare, quia hic est finis sicut habet præfatio Augustanæ Spingis, ut paulatim omnes ad religionem papalem reducantur, claudicare in utramque partem.

Interimadiaphoricae concessiones & corruptela, iuxta illud, Quo propius Papæ, eo melius.

Conformare ueram & illustratam religionem Pa-
pisticæ impuræ & Pestilenti. Assumere atq; imitari
in dogmatibus ambigutas & flexiloquas Phrases Anti-
christi, quales sunt Adiaphoristarum corruptela.

Laruas Ceremoniarum Antichristi recipere & ex-
ercere, quales sunt Monstrantiarum circumgestio-
nes, circuitus, trunci impositio in sepulchrum tempo-
re passionis Dominicæ, & applicare ad depositionem,
custodiam & eleuationem eius uerbum Dei, & quidem
lingua peregrina, id quod tetricus est abusus nominis di-
uini contra secundum præceptum Decalogi, quam si
uenefica aut Magus nomine Dei ad incantationes abu-
satur.

G j

Iutho,

COGNATA ANTICHR.

Inthronisari Papisticis ritibus tanquam germanis characteribus Antichristi, nec tamen uelle pro Antichristi membro haberi.

Prosopolipsia speciem noui papatus habet, cum personis quibusdam tanta tribuitur perfectio, ut aut errare non possint, aut si maxime errent, tamen a nemine argui debeant, cumque hominum scripta & autoritas diuinis præfertur.

Samaritanismus qui est *æuangelista* seu confusio & chaos, ex uariarum sectarum opinionibus a uera Ecclesia refutatis, compactum.

Osiandrismus, Stenckfeldismus.

Pseudo Euangelici, quales sunt Libertini, hospites & patroni Antichristi, Ecclesiasticorum bonorum raptiores, contemptores & persecutores ministerij, adulteri, scortatores, prædones, latrones ociosi auarii &c

Pseudo Lutherani, qui solo esu carnium sunt Euangelici.

CONTRARIA TOTI ANTICHRISTO

Et uniuersæ eius religioni,

COELESTIS PATER, FILIVS ET SPIRITUS Sanctus, uetus & æternus Deus, unus in essentia, trinus in personis, qui Antichristum eiusq[ue] res omnes ferio ac grauiter odit, abominatur, condemnat & punit.

Angeli boni, qui Antichristum hostem Dei & Ecclesiae ueræ, extreme oderunt, & eius conatus saepe infringunt & reprimunt, & nouissimo die in eo, & omnibus

CONTRATIA TOTI ANTICHR.

Hus assedis eius in locum sulphureum præcipitandis;
tauquā ministri dei, sedulam opram nauabunt.

Verbum dei in omnibus articulis fidei, Antichristum accerrime impugnat & damnat. Hoc ancipiti gladio Hydra Lerneā cæditur, & deletur, Id quod hodie, illustrata Euangelij doctrina, feliciter Dei beneficio fieri coepit est, & durabit usq; ad finem.

Catechismus, Antichristi corruptelas, idolomanias, scelera taxans & damnans, & sub poena æternæ damnationis fugienda esse docens.

Pij doctores uerbi Dei, tum ueteres tum recentes, qui ex uerbo Dei, & ex notis in eo luculenter expressis, Antichristū ipsum in suo regno, loco, personis, actionibus omnibus, manifeste & expresse, serio, fortiter & neutrue demonstrant in clamant, dominant, execrantur, & sonant illam diuinam uocem, seuerissimamq; præcepitum ore & scriptis, Exite, Exite omnes, quicunq; fauoris Christi, & æternæ salutis cupitis esse participes. Cecidit, Cecidit Babylon. Apocal. 18, 2. Cor. 6, Exempla illustria & plurima talium Doctorum extant in libro, cui titulus Catalogus testium Veritatis,

Concilia pia, in quibus Spiritus Sanctus pectora illustrauit & gubernauit, ut siue pullulanti siue enato Antichristo, eiusq; impietati ac libidini refragarentur. Sic in primis Cyprianus & sexta Carthaginensis Synodus, strenue primatum Romanum impugnarunt.

Formulæ confessionum Ecclesiarum Christi, quibus papatus & omnes corruptæ Syncerae doctrinæ ex-

G ij
uerbo

CONTRA TOTO ANTICHR

verbo Dei refutantur, quales sunt Augustana, Schmalz
caldici articuli, Confessio Saxonica & similes.

Preces & confessiones piorum, qui toto pectore
re fugiunt & uitant Antichristi labem tanquam anima-
rum pestem.

Poenæ diuinæ priuatæ & publicæ, præteritæ, præ-
sentes, secuturæ, non tantum in hac uita, sed multo maxi-
me in altera.

Magistratum pietas & zelus, quorum officium
est, cum sint custodes totius Decalogi, manifestas idolo-
manias, abusus nominis diuini, Sacramentorum Christi
publicas Prophanationes, & omnes impios cultus con-
stringere atque abolere, Sodomitica scelera turpesq;
fornicationes punire, fures & decoctores bonorum Ec-
clesiasticorum cohercere, atq; de repetundis postulare.
Rectius, melius, utilius, sanctius ista bona ad ædificatio-
nem nimirum salutarem Ecclesiæ collocare. Quod si
non faciunt serio & grauiter, uideant ne hac sententia
compræhendantur. Si uidebas furem, currebas cum eo
&c.

Parentum & præceptorum, scholarum & Acade-
miarum pietas & zelus, in cohortando & reuocando &
absterrendo suos, a communione & societate cum An-
tichristi membris.

COMPOSITA.

EX HAC INQVISITIONE, COMMEMO-
ratione, diligentique consideratione causarum omo-
nium, qualemcunq; Antichristi idæam adumbrantium,
hypotheses,

COMPOSITA.

hypotheses, seu propositiones plurimæ, quæ in hoc negotio occurunt, expedite & perspicue expendi, dijudicari & explicari possunt. Nam alioqui quasi a corpore suo resulſæ atq; detruncatæ illæ sententiæ, facilius artificiosis quibusdam fucis pinguntur atque uendantur, quæ si in ipso corpore, & iuxta proportionem omnium membrorum aspicerentur atq; expenderentur, profecto ipsa monstrositate ac pestilentia contagiosoque morbo ac foetore horrorem incuterent, execrationem, fuga, uitationemque suaderent. Eiusmodi uero sunt hæc & similes.

An regnum pontificium, passim per uarias nationes dispersum, sit ipsissimus Antichristus, a Deo prædictus & monstratus?

An pontifex Romanus, sit iure diuino supremus in tota Ecclesia Christi, caput Ecclesiae & Oecumenicus?

An iure humano uere sic dicto, primatum teneat, possideat regna huius mundi, eaq; distribuendi cui libitum sit, liberrimam postatem habeat?

An iure humano uere sic dicto, pontificij Episcopi, characterem bestiæ accipientes, Canonici, Sacrificij & eius generis homines, teneant principatus, arces, oppida, pagos, Iurisdictionem ciuilem, nomine & praetextu religionis, quam tamen minus curant, quam affluis Musicam?

An licitum sit, propter facultates amplissimas, uel ut ille inquit, regna huius mundi & GLORIAM eius, characteres Antichristi Romani accipere, ei obedientiis

COMPOSITA.

am & reuerentiam uel per se uel per alios, subscriptio
ne, sigillis aut qualicunque assensu polliceri ac præsta
re:

An licitum sit, apud Antichristum Romanum si
mulare religionis Antichristianæ approbationem, & de
sertionem alterius uerioris, siue per se siue per alios idq
uo fine, ut ab ipso obtineantur regna huius mundi &
gloria eius, hoc est, Episcopatus, Abbatiae, Ditiones am
plæ, Monasteria, redditus pingues aut similia?

An licitum sit, Pallia multis missilibus loco confir
mationis Episcopatum, ab Antichristo patefacto re
dimere?

An licitum sit, aliquas saltem consecrationes ritus
eipso Autichristi accipere, ut Canonicatum beneficia, & re
ditus quosdam nanciscari?

An licitum sit, pecunia canonicatus & eiusmodi
beneficia, Simoniaco more emere, ut postea ipsis, licet
otiosissime & perditissime uiuas, libere frui queas?

An licitum sit, in thronis dari, & ut vocant installari
a seruis Autichristi inconuersis, & quidem Ceremonijs
ipsos Autichristi Characteres applicantibus & impris
mentibus?

An licitum sit, ut Episcopi alijq prælati, character
ibus bestiæ sine omni poenitentia insigniti, fruantur sua
potentia & licentia, liberrime potent, uenentur, scorten
tur, rapiant, expilent, abliguriant, tanquam *προμοι* id est,
ex leges, ut appellat Paulus, suoque loco aliquos inferio
res uilesque homunciones, exigua suorum commodo
cum particula decisa, conducant, qui id quod ipsi de
bent,

COMPOSITA.

bent, obeant & efficiant, nempe ut hoent in templis, Missis Christum crucifigant, sanctos inuocatione & uarijs cultibus blasphemant, interdum etiam ueram doctrinam suis miseris contionibus depravent, & ouis Christi ipsi Diabolo immaniter tradent mactent & offendant, & quod a præcipuis Antichristi ministris negliguntur, ipsis in uniuersum deglubant, eripiant, destruant, perdant.

An licitum sit bonis Ecclesiasticis, quæ nomine religionis Antichristianæ habentur, licenter frui, & tantum ad luxum & libidinem abuti, & abstinere a coniugio, & uel nullos ritus Antichristi, uel aliquos ad speciem obseruare, uel saltem in templo comparere, obambulare, accipitrem cum nola in manu loco Spiritus sancti in corde, gestare?

An licitum sit, ne effundatur gratia Bestiæ seu Antichristi, neue gloria mundi exuaris, ut ille uocat, tolerare, ut abusu nominis diuini, inuocatione Sanctorum, Missis, tetricis scortationibus, luxu, blasphemetur Deus, subinde noui Monachi ac Moniales recipiantur & initientur?

An licitum sit, sub poena multæ aut expulsio[n]is, pecuniam procreationis quam uocant, a pijs etiam & synteris ministris uerbi Dei exigere, non aliter quam a sacrificulis propter fornicationem, quasi etiam uerorum uerbi Dei ministrorum coniuges, essent scortis sacrificiorum similes?

An licitum sit, Antichristicis sacris interesse, Item alijs mercedem dare, ut sua vice illa impia sacra, ut sunt

H

Missæ,

COMPOSITA:

Missæ, celebret, adstare illis, & saltem præsentia qualem cunctæ approbationem significare, donaque ad altaria seu potius Missifici, post eiusmodi tetram crucifixionem Christi, nominisque diuini prophanationem & blasphemiam, offerre?

An licitum sit, merces qualescumque, ad idolatriam, Missam, & alias blasphemias actiones Antichristi, scienter lucri gratia, cuius ut ille inquit, Bonus odor est ex re qualibet, aduehere, uendere, emere, donare, obtrudere?

An licitum sit, in ciuitatibus, syncera Euangeliæ doctrina ex ingenti Dei misericordia illustratis, publicas & notorias blasphemias in Deum, publicas & notorias scortationes, publica & notoria latrocinia animarum turbæ Antchristianæ tolerare, & areas quasi scopis purgare, Satanæ redeunti (ut Christus concionatur) ornare, defendere?

An licitum sit, Antichristi seruis Christi seruos subiçere, eisque crucifigendos tradere?

An licitum sit, Antichristo & eius seruis, ueram Iesu Christi Ecclesiam subiçere, ouemque lupo quod dicitur commendare?

An licitum sit, ueram Christi Ecclesiam, ipso tempore persecutionis Antichristi, summoque eius successu & furore, tantum eneruandæ atque euacuandæ crucis Christi gratia, submittere, prostituere, religionem eis VOLENTER largiri, donare, tradere denique simulare se ad Antichristi religionem rursus inclinare?

An licitum sit, falsæ Ecclesiæ titulos, ueræ Ecclesiæ competentes, quales sunt Diuina, Christiana, uera, Antiqua, Catholica, Apostolica, sine protestatione ac confutatione permittere;

An

COMPOSITA.

An licitum sit, in Antithesi admittere, ut turba Antichristi sibi arroget nomen ueræ Ecclesiæ, & nos eo priuet, cum articulus fidei sit, Credo Ecclesiam?

An licitum sit, eo ipso persecutionis tempore, inquam Antichristi, in præcipuis articulis doctrinæ amplecti atque æmulari, quasi cum ipso in dogmatibus fidei concordemus, siue id siat serio siue fraudulenter?

An licitum sit laruam Antichristi in Ceremonijs, siue omnibus siue aliquibus, siue maximis siue minimis ipso etiam persecutionis tempore, induere atque recipere, ut saltē aliquibus in rebus speciem Antichristi represententes, ne cogaris possessines, famam, uitam in discriumen adducere?

An licitum sit, in utramque partem vacillare, blandiri mancipijs Antichristi & ueræ Ecclesiæ membris, claudicare utrumque pede, seu gestare utrumque humero. Apud Antichristi gregem dignitates & facultates aucupari, apud Ecclesiam ueram infamiam apostasiæ fugere?

An licitum sit, extra necessitatem & politica negocia, quæ tamen ipsi nullo iure, uere sic dicto, ad se per uim & nequiciam rapuerunt, sese eis familiariter adiungere, palpum obtrudere, cum ipsis conuiuari, perigrinari, ineibriari?

An licitum sit, in conuersos & præfractos Antichristi socios, siue illi Spirituales (per Antiphrasin) siue seculares, uocitentur ad coniuicia, nuptiales solennitates, baptismum puerorum, & similes piorum hominum actiones inuitare, admittere, ibique honeste tractare ac demulcere?

Hij

An

COMP OSITA.

An lícitum sit ijs, qui characteres Antichristi receperunt, neq; eos uera ac manifesta pœnitentia abiecerunt, libros in Ecclesia scriptos dedicare aut alioquin eos prædicare ac celebrare ea ratione, ut non commoñefiant de peccatis suis, ut tantum eis adulemur, gratiam conciliemus, munera captemus, ut ipsi tanto honore aut collusione amínat, minus cogitent de agenda pœnitentia, de cohercendis atq; abolendis idolomanijs & blasphemis seruorum Antichristi?

An teneamur ne cōmunicemus Antichristi execrandis & pestiferis rebus, dignitates, gratiam, famam, facultates & deniq; uitam ipsam amittere?

An lícitum sit iudicio Dei diruta uel uastata fana, delubra, templa, Monasteria Antichristi, restaurare, ornare, idolomanijs & blasphemis replere, conferre sumptus, patrocinium præstare, & quasi permettere, ut lupi ad ouile Christi uastandum, sibi quasi sua publica & tutissima antra recuperent, firment, ornent, unde ex priuilegio & impunitate prædari, rapere, uorare ac perdere liceat?

An lícitum sit, Antichristi statum, actiones, res personas excusare, quocunque tandem id fiat modo, gestibus, uerbo, factis succensere illis, qui istum immanissimum Dei & Ecclesiae hostem, serio oderunt & execrantur, frenum iniçere fidelibus Pastoribus, qui eum ostendunt & detestantur & fugere iubent, iniquis iudicis grauare, damnare, proscribere, spoliare, exigere, mactare omnes, qui Antichristo eiusq; impietatibus, & sceleribus, rapinis contradicunt, aut qui conciliationibus

COMPOSITA.

bus cum Antichristo sese opponunt, confessione, uoce,
scriptis?

An licitum sit, pro idolatria & superstitione religione pontificia, suscipere & gerere bellum, & confessores ueritatis opprimere & trucidare?

An licitum sit Anrichristo eiusq; patronis contra Euangelium aut pios belligerantibus militare, etiam si illi alios praetextus comminiscantur & singant?

An recte fiat, si Senatus imperij Romani decreta faciat, de instauranda idolatria papistica, poena proscriptionis & supplicij proposita, & an talibus decretis bona conscientia possit obtemperari?

An non iure diuino & hummano teneatur Senatus imperij Romani, & quidem omnes Magistratus, quisque in suo & uicino loco, unde nocetur suis, abrogare idolatrias & Sodomiticas libidines Antichristianorum, quae etiam cum iure gentium pugnant, quasq; ne Ethnici quidem honestiores tulissent?

Syluam itaq; rerum, scitu maxime necessaria-
rum, primis quasi labris attigi, digitumque ad fontes
quod dicitur intedi. Nam ex præmissis causis istæ hypo-
theses omnes dilucide intelligi, & euidentissime, dexter-
ri me & grauißime disjudicari & explicari possunt, col-
latis nimirum argumentis, quæ ex qualibet causa tan-
quam fonte, ad unamquanc; hypothesisin tanquam ri-
uum, commodissime deduci conuenit. Epicureorum
& sceleratorum hominum calumnias quas tum ipsi tum eo-
rum sodales & cullusores sine fronte comminiscuntur
nihil cyro. Pro meo officio, dogmatica duntaxat in fa-

COMPOSITA.

eris literis, dictante Spíritu sancto prodita, & quæ secundum ea, ueluti iuxta, Lydium lapidem æstimauda sunt, tradī, idque non ut ulli nisi Regno Satanæ & Antichristi damnum inferam, Sed quantum omnino Deus concedit, aliquibus saltem prosim. Quia de causa Deo iuuante, paratus ac promptus ero, siue priuatim siue publice, uoce ac scriptis, de ista Synopsi rationem debito modo reddere.

Forte etiam aliquid aspirante Deo, hæc omnia prolixius & limatus explicanda uenient, id quod & in proæmio monuimus. Generalia igitur nunc primum de Antichristo in conspectum procedant.

Oro autem patrem Domini nostri Iesu Christi una cum filio & Spíritu Sancto, uerum, unicum & æternum Deum, ut reuelationem Antichristi Spíritu oris Christi factam, conseruet, illustret, absoluat, omnibus eius præstigijs & conatibus oblistat, & quos adhuc suo iugo obstrictos tenet, clementer accensa in cordibus ipsorum uera Antichristi cognitione, liberet, nec sinat

eos, qui Christo eiusq[ue] instaurato Euangelio semanciparunt, quibusdam quasi spectris uel commodorum uel damnorum fascinari aut terrori, ut Antichristo reuelato uel corde, uel gestu, uel ore, uel factis ullam operam præstent.
Amen.

CORRIGENDA.

A. 2. b. lege ad scelera eorum atrocissima. * Linea 1. lege necessaria uobis. Linea ult. Quinto. F. 1. Linea 13. lege ruentium licentia, de le licentis. F. 2. Linea 25. Spirituale. H. 1. Linea 14. lege nola.

CONFIRMATION
of the said Bishop of Limerick
and the other Prelates of the Church
of Ireland, to the said Bishop of Limerick
and the other Prelates of the Church